

De Platonis proprietate quadam dicendi

scripsit

Oberlehrer Dr. Reiter.

De Platonis proprietate quadam dicendi quamquam scripturum me esse promisi, tamen ut ea vere Platonica appellanda esse videatur, ab antiquissimis linguae Graecae temporibus proficiscar atque omnes deinceps Graecorum scriptores in iudicium vocabo.

Verbum quod est *κινδυνεύειν* de quo nunc acturus sum neque apud Homerum¹⁾ neque universa quae vocatur Homeridarum aetate reperitur atque etiam nomen tritissimum *κίνδυνος* ab illo saeculo *κινδυνώδει* quod praecipue *ἀνδρῶν τε πολέμους ἀλεγεινά τε κύματα* nobis proponit plane abhorret. Unde hoc factum esse putamus? Quid periculum esset heroes illi omnium longe fortissimi animo conceptum comprehensumque habebant ita ut ne Hectora quidem puderet consternatum mortis periculo unum temporis momentum de fuga in urbem cogitare aut de vita ab Achille petenda; sed numquam ubi vita agitur *κίνδυνος* est, sed *πόνος, ἔργον, κακόν*, numquam *ἐπικίνδυνον*, sed *ἀλεγεινόν, ἀργαλέον, χαλεπόν*, multis aliis locis periculum non voce sua significatur sed corporis animique perturbatione; quamquam alienum non erat a poeta ubertate ac varietate elocutionis praeter omnes excellentissimo qui cum synonymorum copia abundet tum verborum quae vocantur *ἅπαξ εἰρημένα*, his quoque facultatibus uti praesertim cum ne metro quidem dactylico displiceant. Illud quidem verbum *κινδυνεύειν* propter formam spondaicam Homero *ἔπεια* imprimis *πιερόεντα* diligenti minus aptum erat, nomen autem quod est *κίνδυνος* facillime in versum recipere ei licebat ut *ἄνθρωπος, ἥπιρος*, alia.

Quid? terminationem *ννος* Homeri nomina suffixam non habent? At ne post quidem nomina substantiva in *ννος* exeunt nisi haec tria: *κίνδυνος, εὐθνος, βόθνος*, quorum hoc quidem apud Xenophontem legi uno loco. Oecon. 19, 3 (idem significat quod *βόθρος*) et apud Clitodemum ap. Athen. IX, 18 p. 409 F (Müller FHG I. p. 363); ex Aristotele affert Bonitz quinque locos, e Theophrasti HP. Stephanus duos, e Galeno unum.

¹⁾ Od 23, 303 in uno Marciano legitur pro *ὁμίλον* varia lectio *κίνδυνον*, non posse legi ipso numero versus apparet.

*εὐθυνοῦς*²⁾ autem nomen magistratus cuiusdam Atheniensis est indeque ab Aeschilo sumtum esse videtur duobus locis qui sunt in Eum. 269 (*μέγας γὰρ Αἰδῆς ἐστὶν εὐθυνοῦς βροτῶν*) et in Pers. 819 (*Ζεὺς τοὶ κολαστῆς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν Φρονημάτων ἔπεστιν, εὐθυνοῦς βαρύνς*)³⁾.

Unum igitur usitatissimumque quod vocatur abstractum nomen est *κίνδυνος* atque differt, ab duobus illis ea quoque re quod qualem habeat originem disceptatur, illa a verbo *εὐθύνω* (*εὐθύς*) a nomine *βάθος* derivanda esse apparet. Ac primum quae sit prima positio disceptatur, siquidem auctore Choerobosco aeolici illi poetae Alcaeus et Sappho aeolice nominativum fingunt *κίνδυν* (Sappho: *τοῦ κίνδυνος*, Alcaeus: *τῷ κίνδυνε*), unde technicus ille et alii „usitatum *ὁ κίνδυνος* extitisse sumunt“ Lobeck. Paralipp. p. 170⁴⁾ Etymum vero Etym. Magn. derivat a *κινεῖν τὰς ὁδύνας*, ab eodem verbo nec tamen *ὁδύνας* cogitantes e nostris quidam philologis — Prellwitz Etymol. Wörterbuch ipse quoque affert *κινεῖν*, exploratum esse negat —; Fickio ortum esse videtur ex eadem radice *skad*, *skid*, unde sanscriticum *khidvan*, ita ut significet „Zerren“ „bekümmern“ (cfr. Curtius Grundzüge² p. 218); alios qui de ea re scripserunt laudat Ebeling. in lex. Homérico s. v., ipse consulere non potui. Ego in hac causa pro certo affirmaturus sum nihil; sed si Fickio placet a radice *skad* verbum ducere, mihi licebit ab ea radice quae verbi latini est cadendi, praesertim cum significatio (nostrum „Fall“ „kritischer Fall“) aptior esse videatur. Sed si quis desideret in lingua Graeca hanc cadendi radicem, primum Homeri illud *κεκάδοντο* inde ducendum esse existimant itemque *ἀπο-καδέω* Hesychii glossam (*ἀσθενέω*) *κεκαδήσω* *κεκαδών* (cfr. Curtius l. c.), deinde *ἀκιδνός* inde ipsum quoque oriundum esse ego arbitror: ipsum Hesychium quidem huic quoque verbo eandem subicere radicem, interpretatione eius *ἀκιδνοτέρους* *ἀσθενεστέρους* elucet.

Hic quaerat quispiam num praeter haec tria alia in lingua Graeca huiusmodi nomina omnino sint nulla. Sunt sane nomina propria allata ab Herodiano *περὶ διχρ.* 287 (Lehrs p. 349): *Πάχυνος*, *Αάμνος* (cfr. Lehrs n. 46; Lobeck Pathol. prolegg. p. 227), *Μαριανδυνός*, *Βιθυνός*, a Lobeckio l. c. collecta: *Πόλυνος* (*ὄρος*) ex Anecd. Bachm. I, 449, *Ῥόσχυνος* (Theognost. catal. II, 68), *Ὀρδυνος* (mons Lesbi apud Theophrastum), *Σίγν(ν)οι* (Apoll. Argon. IV, 320), alia e scriptoribus serae aetatis quorum neque nomen constat neque etymon nec prosodia neque extare videntur quae significant. Sed utut res se habet, sunt profecto nomina propria nonnulla in -*νός* exeuntia. Sunt vero etiam adiectiva, sed praecedat terminationem

²⁾ Haec forma nominis extat, ut exemplum afferam, in Aristotelis de Atheniensium republica libro (XLVIII, 4 ed. Kaibel-Möllendorff), de quo loco Harpocration s. v. *Λογισταί „διείλεται περὶ τούτων Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ, ἐνθα δέικνται ὅτι διαφέρουσι τῶν εὐθυνοῶν“* i. e. nom. plur. est *εὐθύναι*, apud Photium qui glossam Harpocrationis repetit, legitur *εὐθυνοῦς*.

³⁾ Omissi *ἄρτινος*, quia de terminatione pro certo nihil affirmari potest. Laudat Hesychius, sed Thucydides V 47, 11 Argivorum quosdam magistratus appellat *αἱ ἄρτιναι*, eosdem Plutarch. Moral. pag. 291 D *ἄρτινους* (cf. Lobeck. Prolegg. p. 228). Verba denique quae sunt *Ὀλυνος*, *Ἀγάθυνος*, *λάγυνος* seu *λάγηνος* (*λαγών*?), *γύρινος* et *γέρυνος* (e Stephano Byz. affert Lehrs Herod. *περὶ διχρ.* p. 349 not. 43 = *ὁ μικρὸς βάτραχος*), *σίγυνος* (*σιβύνη*), neutra *ἄβρυνον* et *κάρυνον* sive *κάρουινον*, haec omnia omni re obscurissima plane neglego nemoque speret, ut ait Lobeckius, quicquam de eis non prorsus improbabile dici posse.

⁴⁾ Pathol. prolegg. p. 226 Lobeck: „anadromen genetivi . . grammatici etiam de *ὄρχυνος*, cuius primitivum est latinum *orca*, *κίνδυνος* et aliis pronuntiant, quorum origo ultra memoriam jacet. cfr. Paralipp. 138 et 170.

aut σ aut $\sigma\sigma$, atque v breve est (v. Herodian. l. c.). Homerus habet haec: $\gamma\eta\theta\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$ ⁵⁾ (in Jl. sexies, in Od. bis), $\delta\epsilon\sigma\pi\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$ (in hymn. Cer. 144), $\pi\acute{\iota}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$ (sexies in Jl., semel in Od.), $\theta\acute{\alpha}\rho\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$ (bis in Jl.), quorum illa tria Lobeck. prolegg. p. 231 sq. a nominibus, hoc unum $\theta\acute{\alpha}\rho\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$ propter paronymorum novitatem raritatemque a verbo potius macroparalecto repetendum esse existimat⁶⁾ (de correpta vocali confert $\beta\alpha\sigma\kappa\alpha\acute{\iota}\nu\omega$ $\beta\acute{\alpha}\sigma\kappa\alpha\nu\omicron\varsigma$). Reliqua huiusmodi adiectiva Lobeck. affert haec: $\delta\omicron\nu\lambda\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\acute{\epsilon}\tau\alpha\iota\rho\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\kappa\omicron\nu\rho\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\acute{\alpha}\rho\mu\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\gamma\epsilon\iota\tau\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\epsilon\upsilon\phi\rho\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\phi\iota\lambda\omicron\phi\rho\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\mu\alpha\upsilon\tau\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\tau\alpha\rho\beta\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\gamma\eta\theta\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$ et $\kappa\eta\theta\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, $\chi\alpha\rho\mu\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\varsigma$, quorum originem et progeniem exposuit $\acute{\epsilon}\pi\alpha\iota\nu\omicron\gamma\acute{\omega}\nu\iota\omicron\varsigma$ ⁷⁾ ille p. 231—235.

Et quoniam accuratius de his nominibus disserere coepi, ut forma huius de quo agimus verbi quam plurimum undique illustretur, hic mihi liceat ea conferre quae in — $\upsilon\nu\eta$ et — $\sigma\upsilon\nu\eta$ exeunt, de quorum prosodia Herodianus l. c. dicit haec: „Bisyllaba in $\upsilon\nu\eta$ exeuntia $B\acute{\iota}\nu\eta$ ⁸⁾, $\mu\acute{\iota}\nu\eta$ ⁹⁾, $\Phi\rho\acute{\upsilon}\nu\eta$ ¹⁰⁾ producant vocalem (excepto $\gamma\upsilon\nu\eta$), trisyllaba in — $\sigma\upsilon\nu\eta$ corripunt, in — $\upsilon\nu\eta$ ancipitem habent. Longum est v in verbis $\Delta\epsilon\lambda\phi\acute{\upsilon}\nu\eta$ ¹¹⁾ $\chi\epsilon\lambda\acute{\upsilon}\nu\eta$, breve in $\kappa\omicron\rho\acute{\upsilon}\nu\eta$ ¹²⁾ $\tau\alpha\mu\acute{\upsilon}\nu\eta$ ¹³⁾, $\tau\omicron\phi\acute{\upsilon}\nu\eta$ apud Atticos longum, apud ceteros etiam breve v habet.“

Huius modi nomina Lobeck (Prolegg. p. 228) collegit haec cum verbis contexta: $\acute{\alpha}\mu\nu\nu\alpha$ ²⁾ $\epsilon\upsilon\theta\nu\nu\alpha$ $\alpha\acute{\iota}\sigma\chi\acute{\iota}\nu\eta$ ¹⁴⁾ $\tau\omicron\phi\acute{\upsilon}\nu\eta$, cum nominibus $\kappa\omicron\rho\acute{\upsilon}\nu\eta$ ($\kappa\acute{o}\rho\upsilon\varsigma$) $\chi\epsilon\lambda\acute{\upsilon}\nu\eta$ ($\chi\epsilon\lambda\acute{o}\varsigma$) $\delta\epsilon\lambda\phi\acute{\upsilon}\nu\eta$ sive $\delta\epsilon\lambda\phi\acute{\upsilon}\nu\eta\varsigma$ ($\Delta\epsilon\lambda\phi\acute{o}\iota$) (draco Python). „Urbis $\tau\acute{\alpha}\mu\nu\nu\alpha\iota$ et Cereris $\chi\alpha\mu\acute{\upsilon}\nu\eta\varsigma$ ¹⁵⁾ quae sit prima positio ($\chi\acute{\alpha}\mu\nu\nu\alpha$ an $\chi\alpha\mu\acute{\upsilon}\nu\eta$) et quod etymon dicere nescio. $\acute{o}\delta\acute{\upsilon}\nu\eta$ ¹⁶⁾ sunt qui cum $\delta\acute{\upsilon}\eta$ cognatum putant (ut $\delta\acute{\upsilon}\rho\omicron\mu\alpha\iota$ $\acute{o}\delta\acute{\upsilon}\rho\omicron\mu\alpha\iota$)¹⁷⁾.

5) Unum est adiectivum apud Homerum, quod idem substantive terminatur — $\omicron\sigma\upsilon\nu\eta$ (semel in Jl.)

6) Affert ex Geopp. VI. 5 $\acute{o}\xi\upsilon\nu\omicron\varsigma$ (Hesych. s. v.), $\gamma\lambda\upsilon\kappa\acute{o}\xi\upsilon\nu\omicron\varsigma$ o Du Cange. $\Pi\acute{\alpha}\chi\nu\omicron\varsigma$ supra commemoravi.

7) Lobeck ipse se hoc nomine appellat.

8) $B\acute{\iota}\nu\eta$ apud Lycophr. 107 nomen est Leucotheae, cfr. Preller-Robert I⁴ p. 602, 1.

9) de $\mu\acute{\iota}\nu\eta$ (Od. 21. 111) et $\acute{\alpha}\mu\nu\nu\alpha$ Lobeck. Path. El. I, 19: „ $\acute{\alpha}\mu\nu\nu\alpha$ παρὰ τὸ $\mu\acute{\iota}\nu\eta$ ἢ πρόφασις μετὰ τοῦ ἐπιτακικοῦ α E M. 8, 25 quibus nonnulli latinum moene apponunt, unde praemunire dicitur pro praetextere, assumtis germanicis vorschützen, Vorwand; sed aliis diversa videntur vocabula.“ De $\acute{\alpha}\mu\nu\nu\alpha$ Stephanus sic: „neminem vocabulo recentioribus usitatissimo ante Philonem et Plutarchum, cuius locos plurimos v. ap. Wyttenb., usum reperiri animadvertit, Lobeck (Phryn. p. 123)“

10) ἡ φρυνή, ὁ φρῦνος, cuius nominis non scriptura solum ambigua (est v. Jacobs ad Ael. 569), sed cum terminatione nonnumquam etiam significatio mutatur v. Schneider ad Nicandri Alex. v. 570 qui illud rubetae, hoc ranae nomen esse declarat“ Lobeck. Prolegg. p. 31.

11) Lobeck. l. c. n 24: $\Delta\epsilon\lambda\phi\acute{\upsilon}\nu\eta$ δράκων Dionys. Per. v. 441. Schol. confert cum homerico $\lambda\acute{\epsilon}\omega\nu$ $\chi\acute{\iota}\gamma\acute{\epsilon}\nu\epsilon\iota\omicron\varsigma$, terminationem femininam cum epitheto feminae proprio.“ De universo huius nominis usu v. Preller-Robert I⁴ p. 239 n. 2. 257 n. 4.

12) Iam apud Homerum legitur Jl. VII, 141. 143.

13) $\tau\acute{\alpha}\mu\nu\nu\alpha\iota$ ap. Strabonem p. 448 urbs in finibus Eretriensium prope Enripum; apud Herodotum VI, 101 traditum est $\tau\acute{\epsilon}\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$, quod Valckenarius mutare voluit in $\tau\alpha\mu\acute{\upsilon}\nu\alpha\varsigma$.

14) $\alpha\acute{\iota}\sigma\chi\omicron\varsigma$, non $\alpha\acute{\iota}\sigma\chi\acute{\iota}\nu\eta$ habet Homerus.

15) Demeter $\chi\alpha\mu\acute{\upsilon}\nu\eta$ a Pausania commemoratur; cfr. Preller-Robert I⁴ p. 750. 776.

16) Saepius jam Homerus adhibuit.

17) $\sigma\iota\beta\acute{\iota}\nu\eta$ supra commemoravi.

Venio ad ea quae mihi extrema enumerare proposueram nomina quae exeunt in — *οσύνη*, quae „quo magis familiaria sunt poetis, eo minus conveniunt accuratae et politae orationi“ (Lobeck Prolegg. 237)¹⁸⁾.

Primus enim Homerus laetatur et abundat his nominibus, ubertas autem hic ut semper fere „έν τοῖς Ὀμήρου μεγάλοις δείπνοις“ (Athen.) coniuncta est cum rarissimis nominibus quae uno loco inveniuntur. Jam vide quae finxit Homerus, omnia fere a Lobeckio congesta, „pauca a me addita: βριθοσύνη Jl. V, 389; XII, 460. γηθοσύνη Jl. XXI, 390; hymn. Cer. 437. δαιτροσύνη Od. XVI, 253. δουλοσύνη Od. XXII, 423. δρηστοσύνη Od. XV, 321. ἐπποσύνη Jl. IV, 303. XI, 503. XVI, 776. XXIII, 307. Od. XXIV, 40. κερδοσύνη Jl. XXII, 247. Od. IV, 451. XIV, 31. μαχλοσύνη Jl. XXIV, 30. ξεινοσύνη Od. XXI, 35. πλαγκτοσύνη Od. XV, 343. ταρβοσύνη Od. XVIII, 342. τοξοσύνη Jl. XIII, 314.¹⁹⁾ ἀγενοφροσύνη Jl. 24, 772. Od. 11, 203. ἀεσιφροσύνη Od. 15, 470. ἀφροσύνη Jl. 7, 110. Od. 16, 278. 24, 457. ἀχρημοσύνη Od. 17, 502. ἐφρημοσύνη Jl. 17, 697. Od. 12, 226; 16, 340. μεθρημοσύνη Jl. 13, 108, 121. ὁμοφροσύνη Od. 6, 181; 15, 198. παλαισμοσύνη Jl. XXIII, 701. Od. VIII, 103 (cf. Ludwig. in ed., Lobeck. Prolegg. p. 236), 126. σαοφροσύνη Od. 23, 13, 30. σνρημοσύνη Jl. 22, 261. ὑποθρημοσύνη Jl. 15, 412. Od. 16, 233. χαλιφροσύνη Od. 16, 310²⁰⁾; non attulit ex Homero δολοφροσύνη Jl. 19, 97, 112. ἐπιφροσύνη Od. 5, 437; 19, 22. εὐφροσύνη Od. 9, 6; 10, 465; 20, 8 al. κλεπτοσύνη Od. 19, 396. μαντοσύνη Jl. 1, 72; 2, 832. Od. 9, 509. μνημοσύνη Jl. 8, 181. τεκτοσύνη Od. 5, 250. φιλοφροσύνη Jl. 9, 256.

Hymnorum vocabula huius generis sunt haec: δρησμοσύνη hymn. Cer. 476. ιλημοσύνη h. Ap. 191 (Archilocho adscribitur a Lobeck. Prolegg. 235). φραδμοσύνη h. Ap. 99 (Lobeck. ibid. 235). His quae dixi homericis verbis quae alia alii deinde scriptores adiecerint, Lobeck. l. c. 235--240 exponit: luculentum profecto exemplum quantum poetis maxime epicis auctoritas valeat Homeri.

Haec habui quae de terminatione nominis de quo agimus κίνδυνος dicerem: age nunc vela demus quaerentes quis fuerit post Homerum qui primus verbo uteretur, ut ad Platonem veniamus apud quem deverti volueramus. Et quoniam nullum aut apud Homeridas qui vocantur aut apud Hesiodum²¹⁾ aut apud quemquam cuiuslibet generis auctorum²²⁾ huius nominis extat exemplum, praetervehimur hos omnes celeri cursu usque ad sextum fere a. Chr. saeculum philosophicum quod appellatur quoad appellimur ad Solonem: hic nobis primum occurrit nomen quod quaerimus in versu

πᾶσι δέ τοι κίνδυνος ἐπ' ἔργμασιν, οὐδέ τις οἶδεν,
ἧ μέλλει σχήσειν, χρήματος ἀρχομένον (Bergk-Hiller 12, 65)

quod idem legimus apud Theognidem in versu 585:

¹⁸⁾ „Apud atticos quidem scriptores unum reperitur simplex δικαιοσύνη. Neque copulata illi susceperunt nisi ea quae ab adiectivis in—ων exeuntibus derivata sunt“ Lobeck Prolegg. 237, ubi exempla et atticorum et extraneorum collecta sunt.

¹⁹⁾ Prolegg. p. 232.

²⁰⁾ ibid p. 236.

²¹⁾ Liceat mihi h. l. quia nomen Homeri prae se ferunt quamquam multo posteriores poetae quicunque fuerunt, Batrachomachiam affere et certamen Homeri, quorum carminum illud quidem quod auctor est Ludwigius, vir doctissimus, aetate belli Persarum ortum esse, in versu 9 habet haec:

Μῦς ποτε διψαλέος, γαλέης κίνδυνον ἀλύξας.

*Πᾶσιν τοι κίνδυνος ἐπ' ἔργμασιν, οὐδέ τις οἶδεν,
πῇ σήξειν μέλλει, πρήγματος ἀρχομένον.*

Duobus apud eundem aliis locis scriptum habemus, in versu 637,
*ἐλπίς καὶ κίνδυνος²³) ἐν ἀνθρώποισιν ὁμοῖοι
οὔτοι γὰρ χαλεποὶ δαίμονες ἀμφοτέρω*

in versu 557

*Φράζεο· κίνδυνός τοι ἐπιξυροῦ ἵσταται ἄκμης . .
ἄλλοτε πόλλ' ἔξεις, ἄλλοτε πανρότερα.*

Simonides autem Ceus primus compositum habet in frg. 18,3
*ἄπονον οὐδ' ἄφθιτον οὐδ' ἀκίνδυνον βίον
ἐς γῆρας ἐξίκοντο τελέσαντες*

et in frg. 49

ἔστι καὶ σιγᾶς ἀκίνδυνον γέρας.

In tragoediis Aeschylus (ed. Kirchhoff, Fragmenta ed. Nauck) κίνδυνος habet his quattuor locis:

Sept. 1012: *ἐγὼ σφε θάψω κἀνὰ κίνδυνον βαλὼ θάψας' ἀδελφὸν τὸν ἐμὸν . . .*

Sept. 1032: *χώραν τήνδε κινδύνῳ βαλεῖν.*

Agam. 847: *προφρωνὸν τὸν . . ὑπ' Ἰλίου σέθεν κίνδυνον.*

Choeph. 262: *χρησιμὸς κελεύων τόνδε κίνδυνον περᾶν.*

Hinc priusquam ad Pindarum provehamur, commemorare mihi liceat in Septem qui vocantur Sapientum sententiis unam esse eamque Cleobulo tributam hanc: *Μὴ ὑψοκίνδυνος ἔσο²⁴)*, aliud nescio cuius eorundem sapientum dictum prae se fert verbum *κινδυνεύειν*; sic enim

hoc autem de quo idem vir praestantissimus per litteras certiore me fecit, summam esse rhetoris Alcimantidis, aequalis Isocrati, sed quae nunc est forma carminis post imperatorem Hadrianum factum esse, versum habet hunc (Goettling Hesiod. ed. II p. 321, 3):

οἷς ἀντὸς κίνδυνος ἐπὶ πραχθεῖσιν ἐπιγίγνεται (?)

Atque ne hoc quidem h. l. praeteribo praeter hos duos versus hexametros unum tantum in poesi Graecorum quam quidem inquisiverim inveniri apud Aeschinem, qui in ea quam in Ctesiphontem habuit oratione (§ 190) epigramma laudat eorum statuae inscriptum qui *ἀπὸ Φυλῆς τὸν δῆμον κατήγαγον*:

Τοῖσδ' ἀρετῆς ἔνεκα στεφάνοις ἐγέραιρε παλαίχθων

δῆμος Ἀθηναίων, οἳ ποτε τοὺς ἀδίκους

θεσμοῖς ἄρξαντας πρῶτοι πόλεως καταπαύειν

ἤρξαν, κίνδυνον σώμασιν ἀράμενοι.

casu factum esse putas an adeo antiquissimi omnium poetarum Homeri exemplum et auctoritatem secuti sunt omnes deinceps usque ad hos quidem, quos extremos perscrutari licebat, Theocritum, Lycophrontem, Callimachum, Apollonium, Nicandrum et — Musaeum, ut unum ex illa aetate commemorem? Nonnum et Quintum Smyrnaeum jam non potui pervestigare. Compositum *παρακινδυνεύω* Aristophanes in dactylico hexametro habet, in Eq. 1054:

τοῦτό γέ τοι Παφλαγῶν παρακινδύνεινε μεθυσθεῖς.

²²) Charonis quae verba ipsius sint in fragmento *κτίσεων* 13 (ap. Müller F.H.G. I p. 35), quae ejus qui laudat, Tzetzes ad Lycophr. v. 480 cognosci non potest (*ἐνέτιχέ τι . . . κινδυνεύουσι καὶ μελλούσῃ φθαρήναι*).

²³) L. Schmidt Ethik II, 70 vertit „Gefahr“, vereor ne rectius: „Hoffen und Wagen“.

²⁴) v. Mullach, Ph.G.F. I, 216.

ille: *κινδύνειν* *φρονίμως*²⁵⁾. Utrumque verbum hoc loco primum adhibitum est; sed quoniam de his dictis vix quicquam certum affirmari potest, omittimus duo exempla et verbi quidem *κινδυνεύειν* auctorem nuncupamus Pindarum Thebanum. Is enim uno loco, Nem. V, 14, praedicat: *αἰδέομαι μέγα εἰπεῖν ἐν δίκῃ τε μὴ κεκινδυνευμένον* („wenn etwas die Probe des Rechtes nicht bestanden hat“); Aliis sex locis adhibuit nomen²⁶⁾, tribus compositum *ἀκίνδυνος*²⁷⁾. In fragmentis quae extant nihil inveni hac stirpe oriundum.

Neque nomen neque verbum placuit ei, quem nunc adimus, Sophocli. Bis usus est nomine *κινδύνειμα*²⁸⁾, semel adverbio *ἐπικινδύνως*²⁹⁾, quae verba a nulla priorum ficta scriptorum vidimus.

Bis igitur usurpatum invenimus verbum *κινδυνεύω*, a septem quodam supientum et a Pindaro atque ita ut significaret idem quod nomen, latine „periclitari“; jam venio ad eum quem primum interpretes et lexicographi nostri verbo idem tribuisse existimant quod inest in verbo *δοκεῖν*. Herodotus enim uno loco qui est IV, 105 de natione quadam Scythica, de Neuris narrat haec: *κινδυνεύουσι δὲ οἱ ἄνθρωποι οὗτοι γόητες εἶναι. λέγονται γὰρ ὑπὸ Σκυθίων καὶ Ἑλλήνων τῶν ἐν τῇ Σκυθικῇ κατοικημένων, ὥς ἔτιος ἐκάστον ὑπᾶς τῶν Νευρῶν ἕκαστος λίκος γίνεται ἡμέρας ὀλίγας καὶ αὐτὸς ἐς ταῦτόν κατίσταται*. Non recte interpretantur hoc verbum qui idem valere dicunt quod *δοκεῖν*; respicere debebant, Herodotum ipsum rem prorsus incredibilem refutare cum diceret: *ἐμὲ μὲν νυν ταῦτα λέγοντες οὐ πείθουσι, λέγουσι δὲ οὐδὲν ἤσσαν καὶ ὁμνῶσι δὲ λέγοντες*.

Ironice igitur h. l. Herodotus de re vulgo terribili loqui existimandus est ita ut rem malam narrare se simulet simulque rideat („Das scheinen ganz böse Hexer zu sein“); quem usum ironicum saepissime verbum habet apud illum a quo locutio cognomen accepit Plato³⁰⁾. Quattuor aliis apud Herodotum locis verbum idem valet quod fere semper, „in periculo esse“ „periclitari“, ut VII 209, 15. VIII 65, 20; 97; 74. Idem valent composita quae finxit, *συνδιακινδυνεύειν* VII, 220, *ἀνακινδυνεύειν* VIII 100 a; 68, 1 (v. Stein). IX 26 a m. 41 m. f. IV 11, 11 (?)³¹⁾.

Sequitur ut Euripidem afferamus tria in omnibus fabulis fragmentisque habere verbi exempla, in Cyclope v. 654 *ἐν τῷ Καρὶ κινδυνεύομεν*, in Heracl. v. 454 *μήτε κινδύνειν σωθῆτω τε μοι τεκν.*, in Suppl. v. 572: *ἐν ἀπίσει σοι πρῶτα κινδυνεύειν*;³²⁾ quae nihil ab

²⁵⁾ Mullach. p. 217.

²⁶⁾ Ol. 1, 83; 5, 16. Pyth. 4, 71. 207. Nem. 8, 21; 9, 35.

²⁷⁾ Ol. 6, 9. Pyth. 2, 68; 4, 186.

²⁸⁾ OC. 564. Ant. 42.

²⁹⁾ Ph. 502.

³⁰⁾ Valckenaer de Herodoti loco sic: „*κινδυνεύουσιν εἶναι* = „esse videntur“ sive „sunt“; et *δοκῶσιν εἶναι* saepius adhibetur pro *εἶσι*. — Stein: *κινδυνεύειν* = *δοκεῖν* in dieser den Attikern geläufigen Bedeutung nur hier. — Abicht: „Oft so bei den Attikern“, quod de Atticis universis falso dictum esse infra docebimus.

³¹⁾ Nomen *κίνδυνος* legitur III 69. VII 50, 20. VIII 65, 18; compositum adiectivum *ἐπικίνδυνος* VII 239.

³²⁾ Quem Beckius in indice quartum affert locum Epist. IV lin. 44 videre mihi non licuit. — Composita poeta non finxit nisi *ἐπικίνδυνος* Scyr. frg. 683 (ed. Nauck.) et *ἀκίνδυνος* Med. 248 (a. βίος) Iph. Anl. 17 (a. βίος) Rhes. 588 (*ἀκινδύνως κτανεῖν*). Nomen *κινδύνειμα* legitur in Iph. Taur. v. 1001 et in Antiop. frg. 194. nomen *κίνδυνος* his locis: Androm 86. Hecub. 5 244. Phoen 723. 1080. 1229. 1261. Hippol. 1019. Iph. T. 90. Rhes. 154. Cycl. 352. Heracl. 148. 504. 758. in fragmentis Alcmeon. 68. Inus 406. 419. incert. 1039. — E fragmentis tragicorum adespota liceat mihi h. l. commemorare 170 et 462 cum nomine *ἀκίνδυνος*.

vulgari usu differre vides. Non utitur verbo Democritus ὁ Γελάσιος³³⁾, saepissime contra et verbo et nomine orator Antiphon, sed ita ut nihil in usu memorabile sit praeterquam quod periculum in iudicio saepe nomine verboque continetur; id quod omnes deinde Attici oratores imitantur. Exempla verbi sunt haec: Tetralog. I α § 4 γ § 3. 5. 7. δ § 5 — V § 6. 6; 50. 62. 73. 75. 82. VI, 1. 3. Compositum habet unum διακινδυνεύειν V § 63.³⁴⁾

Sed antequam in eos qui quidem huius aetatis sint inquiram interseram Aristophanea huius verbi exempla tria: Lys. 655 (in vers. epitrit), Plut. 524 (in versu anapaest.), Vesp. 1021 (in Vers anap). Composita finxit ἀποκινδυνεύω Ran 1108 et παρακινδυνεύω Ach. 645. Vesp. 6. Eq. 1054 (in versu dactylico quem supra laudavimus);³⁵⁾ in fragmentis neque simplex inveni neque ullum compositum.

Apud Andocidem uno loco legitur κινδυνεύειν³⁶⁾, de myst. § 4. κ. περί . . . saepius vero quam apud quemquam priorum apud Lysiam. Ac primum his locis cum infinitivo conjungitur: 4, 19. 13, 60. 24, 6; cum praepositione περί: 1, 50. 3, 38. 18, 27. 19, 9. 7, 5. 22, 20. 29, 11. 4, 13. 7, 15; ἐπὶ: 2, 41. 2, 68. 21, 3. 3, 47. 18, 7. 6, 40. 2, 9. 2, 79. ἐν: 2, 63; πρὸς c. acc.: 2, 31. 2, 33. Κίνδυνον Κινδυνεύειν: 1, 45. 3, 47. 11, 9. 21, 11. 10, 27. absolute: 12, 97. 21, 7. 24. 25, 28. 2, 47. 14, 14. 21, 17. 30, 26. 34, 8. 31, 7. 13. 12, 13. 14, 7. 15, 9. 16, 13. 15, 17. 18, 21. 16, 24. 25, 3. 2, 1. 9, 12. 62. — 8, 7. 2, 54.³⁷⁾

Nullum in his quae enumeravi exemplis plurimis reperitur quod quicquam Platonicae illius habeat significationis; quod ne apud eum quidem investigari potest qui ipse quoque saepissime verbum in suam loquendi consuetudinem recepit, princeps historicorum Thucydides, secutus eum quo usus est praeceptore, Antiphontem oratorem³⁸⁾. Cum infinitivo igitur conjunctum habet κινδυνεύειν his locis: II 35, 1. III 59, 3. 74, 2. IV 40, 1. VII 48, 5. VIII 78, 2. 91, 1. cum praepositionibus his: ἐπὶ VIII 45, 4. VI 78, 1. II 20, 3. I 74, 3. περί: I 33, 1. VI 9, 3. 18, 2. VIII 50, 5. πρὸς II 100, 4. (π. τὸ πλέον κ.) ἐπὶ VI 83, 2 (ἐπ' ἐλευθερίᾳ κ.) cum dativo: II 65, 4. VI 9, 3. 10, 5. 47, 2. VIII 45, 4. praeterea legitur I 20, 3. 35, 3. 39, 3. 74, 2. 75, 2. 76, 1. II 39, 3. 61, 1. III 5, 2. 28, 1. 45, 1. 5, 53. 3. 84, 3. IV 8, 2. 15, 2. 26, 5. 64, 3. 73, 5. 91, 2. 108, 4. 117, 3. 122, 3. V 9, 1. VI 33, 1. 57, 2. 78, 4. 86, 1. 87, 4. VII 75, 1. VIII 63, 3. — I 73, 2. 78, 2. II 43, 3. Composita finxit haec: διακινδυνεύω I 63, 1. 142, 4. IV 19, 1. 3. 29, 2. V 46, 2. VI 99, 2. VII 1, 1. 47, 2. 60, 4. VIII 27, 2.

³³⁾ nomen inveni in fragmentis (ap. Mullach.) 12. 124. 157. 185. 188. 213

³⁴⁾ nomen legi Tetral. I α § 7. β § 7. 9. γ § 1. 3. 5. 6. 7. II β § 1. V 7. 43. 46. 60. 61. 63. 81. 82. 88. VI, 1. In declamationibus Gorgiae Antisthenis Alcidasantis quae feruntur, quas Blass. una cum Antiphonte edidit, κινδυνεύειν legitur in Gorgiae Palamede § 13 et in Antisthenis Odysseo § 2. κίνδυνος in Gorg. Pal. 13. 19. 35, in Antisth. Od. 1. 2. 3, in Alcidasantis Odysseo § 5. ἐπικίνδυνος in Gorg. Pal. § 4

³⁵⁾ Nomen κίνδυνος extat in Eccl. 287. Nub. 955. Plut. 348. Pace 264.

³⁶⁾ Composita finxit παρακινδυνεύω II § 11. 18 προκινδυνεύω IV § 1. nomen κίνδυνος habet his locis: I, 3. 6. 6. 11. 66. 107. 137. 139. II, 8. 12. 17. 31. IV, 2.

³⁷⁾ Composita habet Lysias haec: προκινδυνεύω 18, 27. διακινδυνεύω 15, 12. 34, 11. 2, 20. ἀποκινδυνεύω 4, 17. — ἐπικίνδυνος 5, 2. 7, 32. κίνδυνος legi plus centum locis.

³⁸⁾ Quam blanda eius verba omnibus qui audiebant auditu fuerint, inde intellegitur quod vulgo cognomen habebat Nestorem, apud Platonem in Phaedro (pag. 269 A) appellatur ὁ μελίγηρς Ἀδραστος (v. Lehrs Gastmahl und Phädrus p. 60 Anm.).

79, 2. παρακινδυνεύω III 36, 2. IV 26, 4. παρακινδυνεύσεις V, 100. προκινδυνεύω I 73, 3. VII 56, 3. ξυγκινδυνεύω I 32, 3. 8, 22 ³⁹⁾ ἀποκινδυνεύω III 39, 7. VII 81, 6 ⁴⁰⁾ ἀποκινδυνεύσεις VII 67, 4.

Age nunc „beata petamus arva, divites et insulas“, ubi divinus ille magister nihil scribens ⁴¹⁾ nihil scribere iubens sed circumdatus omni tempore ab omnibus omnium generum aetatumque hominibus viva voce interrogat et respondet, illud *ἔπον μοι καὶ μὲν θάνατε* in dies pluribus maxime adolescentibus succlamat, qui nos quoque cupientes jubet appellere et quid cupiamus interrogat. Sed — quoniam quod modo dixi ipse atramenti *νῆα μέλαιναν εἰς ἄλλα διαν* numquam deduxit, eos adeamus qui usu ac disciplina illius instituti multa multis in libris congesserunt ad imaginem eius accurate et diligenter exprimendam: Xenophon historicus idem et philosophus atque unus ille qui mihi instar est centum milium, summus et sentiendi et dicendi auctor, Plato. Uterque igitur verbum *κινδυνεύειν* saepe, multo saepius Plato usurpat ita, ut idem fere significare videatur quod *γαίνεσθαι* (cuius usus auctorem Herodotum uno loco cognovimus), uterque eodem fere tempore usurpare coepit, si vera sunt quae de Xenophontis librorum temporibus Rühl ⁴²⁾, Dittenberger ⁴³⁾, Roquette ⁴⁴⁾, de Platone cum alii tum Zeller ⁴⁵⁾, Schanz ⁴⁶⁾, Dittenberger ⁴⁷⁾ exposuerunt. Atque *μέλιντα Ἀττικῇ* primum huiusmodi exemplum habet in Hellenicorum libri I 4, 17, ubi Alcibiadis adversarii de eo sic iudicant *ὅτι τῶν φοβερῶν ὄντων τῇ πόλει γενέσθαι μόνος κινδυνεύσαι ἡγεμῶν καταστῆναι*. vides h. l. cives de re quadam loqui, quam metuunt, verbum igitur *κινδυνεύειν* suam vim propriam habere: „Von ihm allein droht die Gefahr“ „er allein lässt befürchten“ ⁴⁸⁾. Aliter se habet ille locus qui in Oeconomico nobis occurrit, XVI, 12: *Κινδυνεύει ἕαρος εἶναι τοῦτον τοῦ ἔργου ἀρχέον;* res enim non modo periculosa verbo praedicatur, sed ne dubia quidem et sane miretur quispiam quid tandem verbum sibi velit; meminerit autem Atticos scriptores etiam si res certissimas affirmant libentissime qua

³⁹⁾ Tria apud Thucydidem huius compositi verbi exempla extare dicit Holmes „Die mit Praepositionen zusammengesetzten Verben bei Thukydides“ pag. 17.

⁴⁰⁾ Hoc quoque compositum Holmesio auctore tribus locis invenitur. — Nomine *κίνδυνος* Thucydides utitur plus centum locis, composito *ἐπικίνδυνος* his: I 137, 4. II 63, 2. III 54, 3. IV 92, 4. — III 37, 2; *ἀκίνδυνος* I 124, 3. III 40, 4. VI 18, 3. 62, 1. V 16, 3 bis. I 124, 3. IV 126, 5. VI 80, 4. VII 68, 2. VIII 64, 3. nomine *κινδυνεύειν* I 70, 2. Hic mihi statim afferre liceat quosdam rerum scriptores quos Thucydidis elocutionem imitari voluisse demonstravit Nietzsche (in dissert. Regim. 1881), Dexippum et Herodianum. Ille igitur (in ed. Dindorf Histor. Gr. minor. vol. I) *κινδυνεύειν* adhibet in pag. 196, 16. *διακινδυνεύειν* pag. 170, 13; 187, 23 *ἀποκινδυνεύειν* pag. 181, 30. 182, 19. 182, 25. *ἐπικίνδυνος* 170, 21. 183, 18. *ἀκίνδυνος* 169, 2. *κινδύνεμα* 183, 9. *Κίνδυνος* decies. Herodianus usurpat *κινδυνεύειν* ὑπὲρ VI 5, 8, 9. VII 8, 11. absolute VIII 1, 3. VI 7, 9. IV 4, 6. I 16, 3. 15, 2. *προκινδυνεύειν* V 1, 2. *ἐπικίνδυνος* II 5, 6. *ἀκίνδυνος* I 4, 5. *Κινδυνώδης* IV 4, 3. *Κίνδυνος* cr. tricies.

⁴¹⁾ Neque in Apollinem hymnum pepigisse neque Aesopi fabulas Socratem versibus inclusisse demonstravit vir doctissimus Schanzius in Hermæ vol. XXIX pag. 597 sqq.

⁴²⁾ Zeitschrift für österr. Gymn. XXI, 411 sqq.

⁴³⁾ Hermes XVI, 321.

⁴⁴⁾ Dissert. Regimont. a. 1884.

⁴⁵⁾ Gesch. d. Griech. Philosophie.

⁴⁶⁾ Hermes XXI, 439 sqq.

⁴⁷⁾ l. c.

⁴⁸⁾ cetera huiusmodi exempla infra enumerasse satis habeo.

sunt dicendi urbanitate verbum in modo potentiali ponere vel addere *ποῦ ἴσως σχεδόν* (τι) *δοκεῖ* al.⁴⁹⁾. Idem h. l. valet verbum *κινδυνεύειν*, significans jam non periculum facti, sed verbi, jam non timorem movens, sed dubitationem⁵⁰⁾. Et quia tum primum sacculum esse coepit omnia suo quemque ipsius judicio illustrare, in hoc autem genere semper saeculum erit orationem aspergere flosculis quibus suam quisque ostentationem plus minusue claram faciat, facta est fierique ut ita dicam debuit haec nova verbi *κινδυνεύει* sententia.

In Oecon. cap. 18 Socrates Ischomachum orat ut se metendi quoque artem doceat, is autem incipit dicens: *ἦν μὴ γε γανῆς καὶ εἰς τοῦτο ταῦτά ἐμοὶ ἐπιστάμενος*, quod cum cognovisset re vera illum huius quoque rei peritissimum esse, finem facit his verbis: *ὅρῳς ὃ Σόκρατες ὥς ἀλίσκει ἐπ' αὐτοφώρῳ καὶ περὶ θεοῖσιν εἰδὼς ἄπερ ἐγὼ*; ad quod Socrates respondet *Κινδυνεύω* (sc. *ἀλίσσεσθαι* et *εἰδέναι*) i. e. cogor quod nolo confiteri. Differre vides locum ab eo quem modo tractavi ita ut de responso quod quis ne det recusat dicatur *Κινδυνεύειν*, vides verbum retinere aliquid mali et molesti („Ich muss wohl“).

Atque haec de, Oeconomico. Iam in libro qui inscribitur *Ἀπομνημονεύματα Σωκράτους* duo sunt huiusmodi exempla in libro quarto, 2,34 et 39. Atque illo loco Socrates et Euthydemus postquam multa disputaverunt quid esset bonum, Euthydemus extremum aliquid certumque (ut Oec. 16,12) sibi videtur proferre cum dicat *Κινδυνεύει ἀναμφιλογώτατον ἐγεῖν εἶναι τὸ εὐδαιμονεῖν* („So muss doch wohl . .“) qui locus plane similis esset illi qui erat Oec. 16,12 nisi ironiam quandam tragicam, ut ita dicam, ostenderet: etenim ne hoc quidem quod ipse certissimum intellegebat bonum esse cogitur confiteri, ut animo fracto discedat dicens § 39: *κινδυνεύω ἀπλῶς οὐδὲν εἰδέναι* cf. Oec. 18,3.

Perlustrantibus deinde cetera Xenophontis scripta occurrit nobis in Hierone locus qui est I, 26 *κινδυνεύουσιν, ἐφη ὁ Σιμωνίδης, αἱ τῶν ἀφροδισίων μόνον ὑμῖν ἀπολαύσεις τοῦ τυραννεῖν τὰς ἐπιθυμίας παρέχειν*. De quo loco cfr. Mem. II, 34; in Convivio VII, 2 *κινδυνεύω ἐγὼ* (Σωκρ.), *ὥσπερ σὺ λέγεις, τῷ ὄντι φρονιστὴς εἶναι*. Differre vides locum ab illo qui similis esse videtur, Mem. II, 39, Socratis risu et ironia, quae ne illius quidem loci Oecon. 18,3 propria est.⁵¹⁾

⁴⁹⁾ cf. Valcken. ad Herodot. IV, 105. Ast lex. Platon. s. v. *κινδυνεύω*. Wohlrab ad Platon. Phaedon. p. 67 B. Schanz. in ed. Criton. p. 23, 8: „Die dubitative Form der Rede ist bei den Griechen so gang und gäbe geworden, dass sie als solche kaum noch gefühlt wird und daher auch bei unzweifelhaften Dingen in Anwendung kommen kann.“

⁵⁰⁾ Timaeus *λέξεις Πλατωνικαί* (ed. Ruhnken) recte interpretatur *ἐγγίξειν* = nahe daran sein, dass es so ist.

⁵¹⁾ Liceat mihi h. l. cetera enumerare exempla, primum coniuncta cum infinitivo quae propriam verbi significationem ostendunt: Cyneg. 10, 8. Hell. I 4, 15. 6, 4. Mem. II, 3, 17. 10, 2. IV 7, 6. Anab. IV 1, 11. V 6, 19. Hell. IV 3, 23. 4, 2. V 2, 41. Cyr. I 5, 3. Hell. VI 2, 23. 4, 5. 4, 6. VII 4, 34. De rep. Athen. 1, 11 (cfr. *Κίνδυνος* c. inf. Cyrop. VIII 2, 45. Hell. IV 2, 18. Anab. VI 1, 21. V I, 6. Mem. II 7, 9. Oec 19, 11. Cyneg. 10, 8. de re eq. 6, 1.) Absolute ponitur cr. quadraginta locis, nomen substantivum cr. sexaginta. Composita finxit haec: *ἀκίνδυνος* Mem. I 2, 10. II 8, 6. Hiero 7, 10. 2, 10. Anab. II 6, 6. Hipparch. 4, 14. Cyrop. III 2, 5. IV 1, 16. Ages. 1, 36. 6, 3. — *φιλοκίνδυνος* Conv. 4, 33. Anab. I 9, 6. II 6, 7. Hipparch. 5, 15. Cyrop. II 1, 22. Hell. VI 1, 6. — *ἐπικίνδυνος* Mem. II 3, 2. IV 6, 10. Anab. II 5, 20. VII 7, 54. — *δυσφοκίνδυνος* Mem. I 3, 9. 3, 10. — *διακινδυνεύω* Anab. III 4, 14. VI 3, 17. Hell. V 4, 50. VI 4, 22. 24. Hipparch. 7, 2. 4. 5. 7. Cyrop. VIII 8, 4. *προκινδυνεύω* Oec. 21, 7. Hiero. 10, 6; 8. Anab. VII 3, 31. *παρὰκινδυνεύω* Hell. III 5, 16. VII 3, 5. *συγκινδυνεύω* Cyr. VII 5, 55. Ages. 11, 13.

Haec sunt Xenophontis pauca huiusmodi exempla eaque disponenda sic: 1) Oec. 16, 12. — Mem. II, 34. Hier. I, 26. 2) Oecon. 18, 3 Mem. II, 3, 9. — Conv. 7, 2.

Multo saepius quamquam non singulis paginis ⁵²⁾ reperitur verbum apud alterum Socratis discipulum qui de illius vita ac disciplina accuratius proposuit, a quo nomen quoque traxit, ⁵³⁾ Plato, apud quem singulos deinceps huiusmodi locos eodem ordine quo Plato scripta sua edidisti dicitur agite nunc examinemus. Atque in Hippiā Minore qui liber primus e seriniis in lucem prodisse existimatur Socrates cum tandem quid ille sentiret intellexisse sibi videretur, pag. 365 C νῦν ἤδη, inquit, κινδυνεύω μανθάνειν ὃ λέγεις „jetzt erst verstehe ich ungefähr“. pag. 372 B. Socrates se ipse illudit per ironiam his verbis κινδυνεύω ἐν μόνον ἔχει τοῦτο ἀγαθόν τὰλλα ἔχων πᾶν γαῖλα· τῶν μὲν γὰρ πραγμάτων ἢ ἔχει ἔσθλα, καὶ οἷα οἶδ' ὅπη ἐστί „ich habe — traurig genug — nur das eine Gute an mir“; verbum igitur proprie ut ita dicam adhibet. Quod idem in Socrate videmus permultis aliis locis, ut tribus in dialogo qui inscribitur Euthyphron ⁵⁴⁾: atque pag. 2. C, de Meleto praedicat se vereri κινδυνεύει σοφός τις εἶναι „ein ganz furchtbarer Mann“; pag. 11 A Euthyphronem laborantem neque quid Socrati respondeat jam habentem objurgat simulare neque velle sibi respondere: κινδυνεύεις . . . οὐ βούλεσθαι δηλώσαι „dir scheint es nur am guten Willen zu fehlen“, pag. 11 D se ipse laudat ut tamquam perhorrescat se dicens κινδυνεύω ἄρα . . . ἐκείνου τοῦ ἀνδρός δεινότερος γεγονέναι τὴν τέχνην „ich habe Angst vor mir: „ich bin dann nämlich noch gewaltiger als Daedalus.“ ⁵⁵⁾ Quartum in hoc dialogo exemplum in pag. 8 A comparabimus cum illo quod supra e Xenophontis Oeconomico (18, 3) attulimus: Euthyphron enim suam pietatis definitionem absurdam confiteri coactus Socrati jamjam victori primum confitetur cum dicit οὕτω, deinde ἔοικε, postremum lenta voce κιν-δυνεύει locutus ὅσιον et ἀνόσιον idem esse, se victum concedit; de qua re audi Sauppius ad Protagor. pag. 360 D: „Die zunehmende Einsicht des Protagoras, dass ἀνδρεία u. σοφία zusammenfallen, dass also seine Ansicht (349 D) vollständig widerlegt sei, wird hübsch durch die abnehmende Geneigtheit zuzustimmen geschildert“; cf Schanzium ad Euthyphr. pag. 8. A.

Omnibus igitur his locis aliquid molestum expressum habemus. In Apologia deinde pag. 20 D Socrates admonitus ut causam diceret quare in invidiam civium venisset, diu multumque dubitat veritus verbum quoddam pronuntiare quod nunquam in ore habet, σοφίαν; quod intellegitur et praemunitione quam vocant καὶ ἴσως μὲν δόξω τισὶν ἰμῶν παίζειν et collocatione verborum ἐγὼ γὰρ . . . δι' οὐδὲν ἀλλ' ἢ διὰ — σοφίαν τινα et adhibito verbo κινδυνεύειν sic: Τῷ ὄντι γὰρ κινδυνεύω ταύτην εἶναι — σοφός „denn wahrhaftig bin ich darin — ich muss es sagen, ich möchte es nicht — weise“ ⁵⁶⁾ pag. 21 D queritur tristis nihil se scire: κινδυνεύει μὲν

⁵²⁾ v. Ruhnken. in Timaeo s. v.

⁵³⁾ Tzetzes primus locutionem Platoniam vocasse videtur, cf. Ruhnken l. c.

⁵⁴⁾ Aliter de dialogorum inter se ratione iudicat vir in rebus Platanicis subtilissimus et sagacissimus, Martinus Schanzius. Is enim in primis a Platone libellis conscriptam esse putat Apologiam, nectamen veri dissimile esse existimat antea Gorgiam; Apologia deinde posteriorem esse Menonem, Critonem et Euthyphronem, hoc autem priorem Protagoram disserit in Apologia p. 110 sqq. in Euthyphrone p. 15.

⁵⁵⁾ De Euthyphrone modo irridens dixerat: τοῦ ἡμετέρου προγόνου ἔοικεν εἶναι Δαίδαλον τὰ ἐπὶ σοῦ λεγόμενα; hic autem de Socrate σὺ μοι δοκεῖς ὁ Δαίδαλος, ad quod Socrates illa.

⁵⁶⁾ Prantl hic et omnibus locis vertit „es kommt darauf hinaus dass“, Schleiermacher „es mag wohl“.

γὰρ ἡμῶν οὐδέτερος οὐδὲν καλὸν κάγαθόν εἶδέναι „leider weiss ja wohl . . .“ pag. 23 A idem sentiens queritur scientiam nullius esse nisi dei: *κινδυνεύει τῷ ὄντι ὁ θεὸς σοφὸς εἶναι* „leider ist in Wahrheit wohl nur . . .“ quartum huius elocutionis exemplum quod legitur in pag. 40 B Socratem nobis proponit moderate, ne dicam ironice timideque eloquentem quod omnium opinioni alienum et contrarium est: *κινδυνεύει γὰρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο — ἀγαθὸν γεγενέαι* „es muss wohl gar . . .“

In Critone pag. 44 A Socrates postquam leni cum vituperatione ex amico quaesivit (pag. 43 B) *εἶτα οὐκ εὐθὺς ἐπιγυράς με, ἀλλὰ σιγῇ παρακάθῃσαι* tamen perbene id sibi accidisse iudicat dicens *κινδυνεύεις ἐν καιρῷ τινι οὐκ ἐγείραι με*: levi igitur brachio objurgat idem et amplectitur amicum „last müsste ich sagen: du hast damit dass du nicht recht gethan hast, doch recht gethan.“ In Lyside pag. 212 D Menexenus eadem ratione quam descripsimus ad Euthyphr. pag. 8 A quod existimaverat, perversum esse cunctatus confitetur: primum enim *ἔοικε*, inquit, *γούν οὕτως ἔχειν*, deinde *κινδυνεύει*. Atque hoc idem *κινδυνεύει* idem Menexenus anxius incertusque usurpat in pag. 213 C, invitus in pag. 221 D temere dictum ac sine ratione compositum esse concedit quod dictum erat. Iam in pag. 220 B Socrates revera quid sit amicum definit his verbis: *ὅσα φαιμέν φίλα εἶναι ἡμῖν ἔνεκα φίλου τινὸς ἑτέρου, ὃ ἡμῖν φαινόμεθα λέγοντες αὐτό. φίλον δὲ τῷ ὄντι κινδυνεύει ἐκείνο αὐτὸ εἶναι, εἰς ὃ πᾶσαι αἱ λεγόμεναι φίλαι τελευτῶσιν*, quam definiendi rationem consentaneam esse putandum est in eo qui quidem scire se nihil aliud semper affirmat nisi hoc unum nescire. Incertus repetit h. l. Menexenus *κινδυνεύει* „Mag wohl sein“. In definitione ponit Socrates *κινδυνεύει* iterum in pag. 216 C atque hic quidem pavidum se esse ipse verbis exprimit quae sunt *Μὰ Δία οὐκ οἶδα, ἀλλὰ τῷ ὄντι αὐτὸς ἰλιγγίῳ ἵπὸ τῆς τοῦ λόγου ἀπορίας καὶ κινδυνεύει κατὰ τὴν ἀρχαίαν παροιμίαν τὸ καλὸν φίλον εἶναι* „und so wird wohl am Ende“ (Schl.). In pag. 218 C autem moleste fert verum se vidisse tantummodo in somnio propriamque vim verbi retinet cum dicit: *Βαβαί, κινδυνεύομεν ὄναρ πεπλουτηξέαι* „Wir sind wohl leider nur im Traume reich gewesen.“

Alcibiades Prior quae habet huius verbi exempla omnia sunt novem, quorum duo Socratis, septem Alcibiadis nomen prae se ferunt. Ille igitur in pag. 113 C Alcibiadem dicentem quid esset justum et injustum se ab Socrate audivisse reprehendit sic: *σοῦ τάδε κινδυνεύεις ἀλλ' οὐκ ἐμοῦ ἀκηκοέναι* „du hast das wohl von dir gehört“; in pag. 132 D de Apollinis dicto *Γνωθὶ σεαυτὸν* dubius⁵⁷⁾ *κινδυνεύει*, inquit, *οὐδὲ πολλὰχοῦ εἶναι παράδειγμα αὐτοῦ, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὄψιν μόνον* „es mag wohl gar nicht in vieler Hinsicht ein Beispiel geben“, pag. 114 D Alcibiades invitus concedit Socratem recte dixisse (*κινδυνεύει*). item pag. 131 B (*κινδυνεύει*), item pag. 118 B (*κινδυνεύω*); pag. 120 A cunctatus probat Socratis sententiam (*κινδυνεύεις ἀληθῆ λέγειν* „du könntest wohl recht haben“), pag. 127 D confusus confitetur *ἀλλὰ μὰ τοὺς θεοὺς οὐδ' αὐτὸς οἶδα ὅτι λέγω, κινδυνεύω δὲ καὶ πάλαι λεληθέναι ἐμαυτὸν αἴσχιστα ἔχων* „ich fürchte, es steht schon lange ohne dass ichs weiss, schmähhlich um mich“, pag. 133 E coactus Socratem sequitur dicentem *οὐκ ἄρα πάνν τι ὀρθῶς ὠμολογοῦμεν* dicitque ipse *κινδυνεύει* „es muss wohl sein“; in pag. denique 135 D commutandam sibi suae vitae rationem videri, rem sane malam, praedicat cum dicit *κινδυνεύομεν μεταβαλεῖν τὸ σχῆμα . . τὸ μὲν σὸν ἐγώ, σὺ δὲ τοῦμόν.*

⁵⁷⁾ ἐγὼ σοι γράσω ὅγε ὑποπτεύω λέγειν . . γράμμα.

In Charmide pag. 170 A propria verbi vis retinetur a Socrate cum eundem semper se esse doleat *ἐγὼ κινδυνεύω ἀεὶ ὁμοίως εἶναι· οὐ γὰρ αὖ μανθάνω ὡς ἔστι τὸ αὐτὸ ἃ οἶδεν εἰδέναι καὶ ἃ τις μὴ οἶδεν εἰδέναι* „ich bin leider wohl immer der Alte“; praeterea bis verbum legitur in responsis Charmidis; atque in pag. 160 B non repetit e Socratis quaestione verbum *φαίνεται*, pag. 170 D non *ἔοικε* quod Socrates dixerat, sed utroque loco respondet incertus quomodo res sit exitura *κινδυνεύει*.

In Protagora pag. 314 D Socrates ut indignationem janitoris quid causae haberet explicaret, suam de homine opinionem praemittit atque timorem *κινδυνεύει διὰ τὸ πλήθος τῶν σοφιστῶν ἀχθεσθαι τοῖς φοιτῶσιν εἰς τὴν οἰκίαν*; in pag. 340 E idem Socrates ironice stupet Prodicī prudentiam incertusque quo nomine appellet antiquitus e coelis delapsam esse opinatur *κινδυνεύει ἢ Προδίκου σοφία θεία τις εἶναι πάλα, ἥτοι ἀπὸ Σιμωνίδου ἀρξαμένη ἢ καὶ ἐν παλαιότερα* „ich fürchte fast . . .“

In Hippiā Maiore *κινδυνεύειν* in ore habet praeter Socratem nemo quinque locis, quorum qui est in pag. 292 A proprie adhibitum praebet de re mala *κινδυνεύσει οὐ μόνον μου καταγελᾶν . . . (ἀλλὰ) ἂν μὴ ἐκφύγω φεύγων αὐτόν, εἴ μᾶλα μου ἐφικέσθαι πειράσεται* in pag. 297 B Socrates bonum et pulchrum inquirens quam haberent inter se rationem cum dixisset primum modo qui vocatur potentiali *γίγνεται ἂν ὑπὸ τοῦ καλοῦ τὸ ἀγαθόν*, deinde etiam magis veretur dicitque *κινδυνεύει ἔξ ὧν εὐρίσκομεν ἐν πατρός τινος ἰδέε εἶναι τὸ καλὸν τοῦ ἀγαθοῦ* „am Ende ist wohl das Schöne gleichsam der Vater des Guten“; denique quod adeo dubitaverat affirmare providens mox se rursus revocaturum esse re vera revocat sane dolens sic: pag. 297 D *κινδυνεύει ἄρα ἡμῖν οὐχ ὥσπερ ἄρτι ἐφαίνετο . . . οὐχ οὕτως ἔχειν, ἀλλὰ . . . ἐκείνων εἶναι γελοιότερος*, pag. 298 C Hippias nova Socratis definitione quid esset pulchrum extemplo accepta ab illo cunctatore monetur his cautis verbis: *ἔχ' ἡσυχῇ κινδυνεύομεν γάρ τοι, ἐν τῇ αὐτῇ ἐμπειροκότες ἐπορίε περὶ τοῦ καλοῦ, ἐν ᾗ περ νυνδὴ, οἴεσθαι ἐν ἄλλῃ τινὶ εὐπορίᾳ εἶναι*, in pag. 300 C ironice Socrates sibi ipse metuit his verbis *ἐγὼ ἴσως κινδυνεύω δοκεῖν μὲν τι ὁρᾶν οὕτως ἔχον ὡς σὺ φῆς ἀδύνατον εἶναι, ὁρῶ δ' οὐδέν* „ich vielleicht bilde mir ein zu wähnen . . .“ ad quod Hippias respondet sic: *οὐ κινδυνεύεις . . . ἀλλὰ πᾶν ἐτόίμως παρορᾷς* „nicht möglichenfalls, sondern es liegt auf der Hand“. —

In Phaedro is cuius nomine dialogus appellatur ter verbum in responso posuit, in pagg. 262 C, 269 C, 270 D. Atque illic de re mala interrogatus usurpat *κινδυνεύει* concedens⁵⁸⁾, his duobus locis incertus quid tandem existimandum esse videatur, respondet *κινδυνεύει*⁵⁹⁾.

Aliis duobus locis Socrates ipse verbo utitur, urbane quidem pag. 269 E: *κινδυνεύει εὐκρίτως ὁ Περικλῆς πάντων τελεώτατος εἰς τὴν ῥητορικὴν γενέσθαι* „es hat wohl doch seine guten Gründe, dass P. zur höchsten Vollendung gelangte“ (Lehrs); urbane dico, nec tamen ita ut nihil differat a ceteris quae ferantur urbanis locutionibus: gradus enim superlativus summum perfectumque in homine aliquid inesse praedicans (*πάντων τελεώτατος*) requirere videtur verbum quod idem valeat quod nostrum „annähernd etwas sein“, quam esse vim verbi *κινδυνεύειν* apud Timaeum supra vidimus. Quod idem valet verbum pulcherrimo illo loco pag. 278 B, ubi de scribendo et non scribendo libellos verba facit atque exemplar talis viri qualem

⁵⁸⁾ Lehrs interpretatur: „Es steht zu fürchten“.

⁵⁹⁾ pag. 269 C apte conveniunt *τοιούτιόν τι* et *κινδυνεύει*: „So ungefähr scheint es zu stehen mit der Kunst“. (Schl.).

ipse et Phaedrus cupiunt se fieri, proponit verbisque exprimere vix posse videtur qualem animo sibi fingat: in extremo igitur hoc loco Socrates sic: οἷτος ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ κινδυνεύει εἶναι οἷον ἐγώ τε καὶ σὺ εὐξαίμεθ' ἂν σέ τε καὶ ἐμὲ γενέσθαι: „solch ein Mann etwa wäre das Ideal, das selbst zu werden wir zu den Göttern beten“.

Menon dialogus huiusmodi exempla habet haec: in pag. 71 A Socrates ironice metuit prudentiae, ne finibus Atticae exierit sic: κινδυνεύει ἐκ τῶνδε τῶν τόπων παρ' ἡμῶν οἴχεσθαι ἢ σοφία, pag. 71 A cum his quae modo laudavi adiungat εἰ γοῦν τινα ἐθέλεις οὕτως ἐρεῖσθαι τῶν ἐνθάδε, οὐδεὶς ὅστις οὐ γελᾷσεται καὶ ἐρεῖ ὦ ξένη, κινδυνεύω σοι δοκεῖν μακάριός τις εἶναι, item ironice et reprehendit peregrinum hospitem et eludit se ipsum „du hältst mich wohl gar für ganz glücklich“, pag. 96 D tertium ironice reprehendit se ipsum Menonemque sic: κινδυνεύομεν, ὦ Μένων, ἐγώ τε καὶ σὺ φαῖλοί τινες εἶναι ἄνδρες καὶ σέ τε Γοργίας οὐχ ἱκανῶς πεπαιδευμένοι καὶ ἐμὲ Πρόδικος; ceteris tribus qui extant locis Menonem respondere et probare dubitantem audimus, ut qui non recte se iudicasse confiteatur, qui loci sunt pag. 77 E 78 B 99 C.

In Theaeteto multis locis κινδυνεύειν legitur. Atque is ipse cuius nomine dialogus inscribitur, in pag. 147 C ῥάδιον, inquit, ὦ Σώκρατες, νῦν γε οἷτω φαίνεται, tum autem veritus ne quid Socrates spectaret tamen non facile esset respondere, addit: ἀτὰρ κινδυνεύεις ἐρωτᾶν οἷον καὶ αὐτοῖς ἡμῖν ἐναγγος εἰσῆλθε διαλεγομένοις. Aliis duobus locis qui sunt in pag. 164 B pag. 208 B quod paulo ante iudicaverat, falsum esse confitetur Socratis argumentatione coactus (pag. 164 B ut saepe εἰσεκτενέως respondet, deinde κινδυνεύει). Quarto denique loco pag. 187 B idem Theaetetus in definitione quid sit ἐπιστήμη verbo utitur incertus et auxius, ne haec quoque sententia ad irritum recidat; definit enim cognitionem sic: κινδυνεύει ἢ ἀληθείας δόξα ἐπιστήμη εἶναι, addit autem: ἐὰν γὰρ μὴ φανῇ προιοῦσιν, ὥσπερ τὸ νῦν, ἄλλο τι πειρασόμεθα λέγειν. Jam quaerentibus nobis Socrates quot quibusque locis verbum adhibeat primum occurrit in pag. 152 A: ironice hic quod sententia ipsa et litotes quae vocatur declarat Theaeteti de cognitione iudicium amplectitur revera abnuens sic: κινδυνεύεις μέντοι λόγον οὐ φανῶν εἰρηκέναι περὶ ἐπιστήμης, ἀλλ' ὃν ἔλεγε καὶ Πρωταγόρας, pag. 152 C Protagorae illud ἀνθρώπος μέτρον πάντων cum Theaeteto disserens quid τὸ ὄν sit secundum eam sententiam sic definit: οἷα γ' ἂν αἰσθάνεται ἕκαστος, τοιαῦτα ἕκαστος καὶ κινδυνεύει εἶναι, quod ipsum Socratem ironice proponere, funditus reprobare quis est qui nesciat? „Wie ein jeder es wahrnimmt, so soll es für ihn auch sein“! (Schl.). pag. 164 E orbum illud Protagorae mortui dictum quod ne tutoribus quidem cordi sit Socrates jam non vexaturum se esse pronuntiat eosque qui colloquio intersunt hortatur ut una secum auxilium ferant sic: ἀλλὰ δὴ αὐτοὶ κινδυνεύομεν τοῦ δικαίου ἐνεκ' αὐτῷ βοηθεῖν „wohlan denn! Wir selbst werden es riskieren müssen . . .“⁶⁰⁾. Proprie h. l. verbum intellegi posse quis neget? ironice usurpatum esse manifestum est. pag. 172 C item proprie κινδυνεύειν in malam partem adhibet sic: κινδυνεύουσι οἱ ἐν δικαστηρίοις καὶ τοῖς τοιοῦτοις ἐκ νέων κυλινδούμενοι πρὸς τοὺς ἐν φιλοσοφίᾳ καὶ τῇ τοιῷδε διατριβῇ τετραμμένους ὡς οἰκείται πρὸς ἐλευθέρους τεθράφθαι, itemque in pag. 195 B δεινὸν τε ὡς ἀληθῶς κινδυνεύει καὶ ἀγρὸς εἶναι ἀνὴρ ἀδολέσχης, quem adulescentem se ipsum significat εἰρωνευόμενος. Denique etiam in pag. 196 D ita proprie usurpat, ut moleste ferre videatur Theaeteto non posse se

⁶⁰⁾ Schleiermacher vertit. sic: Es scheint, wir selbst werden ihr der Billigkeit wegen beistehen müssen.

morem gerere qui cum dixisset *ἄπορον αἶρεσιν προτιθεῖς ὡς Σώκρατες* placide parceque responsum reprehendit sic: *ἀλλὰ μέντοι ἀμφοτέρω γε κινδυνεύει ὁ λόγος οὐκ εἶσεν* „beides, fürcht' ich, wird der λόγος nicht verstaten“.

Gorgias primum huiusmodi exemplum praebeat in pag. 479 B *κινδυνεύουσι*, inquit Socrates, καὶ οἱ τὴν δίκην φεύγοντες τοῦ ἀλγεινὸν αὐτοῦ καθορᾶν, πρὸς δὲ τὸ ὀφέλιμον τυφλῶς ἔχειν καὶ ἀγνοεῖν, ὅσῳ ἀθλιώτερόν ἐστι μὴ ὑγιᾶν σώματος μὴ ὑγιᾶν ψυχῇ συνοικεῖν, ἀλλὰ σαθρὰ καὶ ἀδίκῃ καὶ ἀνοσίῳ proprie intellegendum esse apparet, itemque in pag. 479 D. Polus enim interroganti Socrati καὶ μὴν ἀπαλλαγὴ γε ἐφάνη τούτου τοῦ κακοῦ τὸ δίκην δίδόναι; cum respondeat *κινδυνεύει*, dolendum esse dicit sane rem ita se habere „leider ἐφάνη“. Etiam in pag. 485 E de re mala Kallicles verbo utitur, etenim Socratem in philosophiae studium se totum dicantem perstringens atque exagitans ἐγὼ, inquit, πρὸς σὲ ἐπιεικῶς ἔχω φιλικῶς, κινδυνεύω οὖν πεπονθέναι νῦν ὅπερ ὁ Ζῆθος πρὸς τὸν Ἀμφιόνα ὁ Εὐριπίδων . . . καὶ γὰρ ἐμοὶ τοιαῦτα ἅπαντα ἐπέρχεται πρὸς σὲ λέγειν, οἷά περ ἐκεῖνος πρὸς τὸν ἀδελφόν, ὅτι ἀμελεῖς ὡς Σώκρατες ὦν δεῖ σε ἐπιμελεῖσθαι „Leider muss ich dir die Wahrheit sagen“. Ceteris tribus locis Socrati verbum tributum est: proprie quidem in pag. 489 B cum reprehendat Kalliclem: *κινδυνεύεις οὐκ ἀληθῆ λέγειν ἐν τοῖς πρόσθεν οὐδὲ ὀρθῶς ἐμοῦ κατηγορεῖν*; item proprie in pag. 505 E, ubi Socrates ironice Kallicle assensus cum exclamasset *ἵνα μοι τὸ τοῦ Ἐπιχάρμου γένηται*, ἃ πρὸ τοῦ δύο ἄνδρες ἔλεγον, εἰς ὃν ἱκανὸς γένομαι, tamen molestum negotium his verbis suscipit: *ἀτὰρ κινδυνεύει ἀναγκαιότατον εἶναι* „indes-es ist leider einfach notwendig“. Denique in pag. 519 C Socrates eis qui reipublicae regendae peritos se esse profiteantur crimini dat, ipsorum rationem eandem esse atque eorum qui se sophistas esse dicant: *κινδυνεύει ταῦτόν εἶναι, ὅσοι τε πολιτικοὶ προσποιῶνται εἶναι καὶ ὅσοι σοφισταί*. vides hic quoque de re mala verbum adhiberi.

In Euthydemo legimus pag. 279 C hanc Socratis sententiam plenam timoris: *νὰ μὲν Δία κινδυνεύομεν γε τὸ μέγιστον τῶν ἀγαθῶν παραλιπεῖν* „beim Zeus, hätten wir doch bald . . . ausgelassen“ (Schl.) pag. 281 D ea quae modo bona enumeravit externa Socrates cum singula non per se ipsa esse demonstrasset, definit ut nomini omnibus jucundissimo quasi metuere videatur sic: *ἐν κεφαλῇ δὲ κινδυνεύει σύμπαντα ἃ τὸ πρῶτον ἔφαμεν ἀγαθὰ εἶναι, οὐ περὶ τούτου ὁ λόγος αὐτοῖς εἶναι ὅπως αὐτὰ γε καὶ αὐτὰ πέφυκεν ἀγαθὰ* „ich muss ihnen leider den Namen nehmen“. pag. 304 C Criton admonitus a Socrate ut Euthydemum adiret disciplinae causa dolet se non posse quia ille non erudiret nisi qui sui similes essent (pag. 303 D): *κινδυνεύω μέντοι καὶ γὰρ εἰς εἶναι τῶν οὐχ ὁμοίων Εὐθύδημου*.

In Cratylo saepius Plato hoc verbum usurpat ac primum quidem in pag. 390 D. Hermogenem cum iudicasset facillimas esse rerum nominationes Socrates leniter castigat sic: *κινδυνεύει ἄρα εἶναι οὐ φῶλον ὥς σὺ οἶε, ἢ τοῦ ὀνόματος θέσεις, οὐδὲ φῶλον ἀνδρῶν οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων*, pag. 394 E, 395 A nomina Orestis et Agamemnonis Socrates interpretatur sic: *ὁ Ὀρέστης κινδυνεύει ὀρθῶς ἔχειν, εἴτε τις τύχη ἔθετο αὐτῷ τὸ ὄνομα εἴτε καὶ ποιητὴς τις, τὸ θηριῶδες τῆς φύσεως καὶ τὸ ἄγριον αὐτοῦ καὶ τὸ ὀρεινὸν ἐνδεικνύμενος τῷ ὀνόματι* — *κινδυνεύει εἶναι τοιοῦτός τις εἶναι ὁ Ἀγαμέμνων, οἷος ἂν δόξειεν αὐτῷ, διαπονεῖσθαι καὶ καρτερεῖν, τέλος ἐπιτιθεῖς τοῖς δόξασιν δι' ἀρετὴν* „ein Agamemnon wird etwa derart sein müssen“. Haec duo in magna veriloquiorum multitudine quibus Socrates in hoc dialogo sophistarum more nimis delectatur, quae permulta verbis utuntur „*δοικέναι φαίνεσθαι*“ aliis, haec duo exempla extare huius generis eaque hoc uno disputationis loco sane mirandum est, eo magis quod hae-

duae nominum interpretationes non per jocum et dissimulationem factae esse videntur; plurimas enim Platoni nihil aliud fuisse quam ludicra et nugas apertum est (cfr. Lehrs, Symposium et Phaedr. p. 144 sqq.) velut eam quae tertia ostendit verbum *κινδυνεύειν* (in pag. 410 D). Idem igitur ut ad illos duos locos redeamus (pagg. 394, 395) *κινδυνεύειν* ibi valet quod *ἔοικε*, nihil significat nisi urbanam dicendi rationem. Non praeteribo altero loco qui est pag. 395 A non tam veriloquium esse quam definitionem (quid sit Agamemnon), qua in re Socratem pro ea quam profitetur arte nesciendi libenter adhibere *κινδυνεύειν* (= *ἐγγίζειν*) (nonnumquam ut hic coniunctum cum verbis *τοιούτως τις*) supra diximus. In pag. 396 D Socrates ironice loquitur. Nam cum Hermogenes illius de regum deorum nominibus fabulas stupens oracula esse dixisset divino spiritu iniecta — *ἀτεχνῶς γέ μοι δοκεῖς ὥσπερ οἱ ἐνθουσιῶντες ἐξαίφνης χρησμοδεῖν* — Socrates ironice laudans, revera vituperans Enthyphronem ineptiarum auctorem nuncupat sic: *κινδυνεύει οὖν ἐνθουσιῶν οὐ μόνον τὰ ὧτά μου ἐμπλήσαι τῆς δαιμονίας σοφίας, ἀλλὰ καὶ τῆς ψυχῆς ἐπειλῆσθαι* „der ist Schuld an dem vorgetragenen Unsinn“. In pag. 410 D Socrates — horribile dictu — idem esse putat *ἐναντός* et *ἔτος*, ironice, itaque *κινδυνεύει*, inquit. *ἐν τι εἶναι*. Nugas in hac tota parte Platonem dicere sibi consciūm quis neget quippe qui ipse se eludat sic: *πόρρω ἤδη, οἶμαι, φαίνομαι σοφίας ἐλαίνειν*; nugas vero maximas dicere voluisse mihi videtur in extrema hac parte, quo magis animos delectaret: „die sind noch gar ein und dasselbe“ in pag. 399 A Socrates sibi metuens *κινδυνεύσω*, inquit, *ἐὰν μὴ εὐλαβῶμαι, ἐτι τήμερον σοφώτερος τοῦ δέοντος γενέσθαι*. pag. 409 D ironice Socrates dum risum vix tenet queritur a Musa Enthyphronis se destitutum nomen ignis non habere unde ductum esse putaret: *τὸ πῦρ ἀπορῶ· καὶ κινδυνεύει ἥτοι ἢ τοῦ Εὐθύφρονός με μοῦσα ἐπιλελοιπέναι ἢ τοῦτό τι παγγαλεπὸν εἶναι*. pag. 401 B. cum Hermogenes negasset facile esse exponere qua de causa Hestiae nomen ortum esset — *οὐ μὰ τὸν Δία οἶδ' ἐ τοῦτο οἶμαι ὀρέδιον εἶναι* — Socrates ironice landat illos qui primi nomina dedissent sic: *κινδυνεύουσι γοῦν, ὧ γὰρ δὲ Ἑρμόγενης, οἱ πρῶτοι τὰ ὀνόματα πιδέμενοι οὐ φαῦλοι εἶναι, ἀλλὰ μετεωρολόγοι καὶ ἀδολέσχαι τινές*. in pag. 404 A et 407 C Hermogenes verbo utitur in responsis, atque illic praeclarissimam nominis Hadis interpretationem veretur rectam esse arbitrari (*κινδυνεύεις τι λέγειν*), hic item incertus ac dubius probare dubitat quod Socrates de Hephaesti nomine dixerat: *κινδυνεύει, ἐὰν μὴ πῆ σοι, ὥς ἔοικεν, ἐτι ἄλλη δόξη*.

Transeamus ad Symposium, in quo pag. 174 B Socrates moleste fert Homerum insolenter proverbium plebi carissimum mutasse: *Ὅμηρος κινδυνεύει οὐ μόνον διαφθεῖραι ἀλλὰ καὶ ὑβρίσαι εἰς ταύτην τὴν παροιμίαν* propriae significationis ut hic aliquid elucet, ita plane proprie adhibitum videmus verbum in pag. 174 C: *ἴσως κινδυνεύσω* (amicus Socratis) . . καθ' Ὅμηρον φαῦλος ὢν ἐπὶ σοφοῦ ἀνδρὸς ἔναι θοίνην ἄκλητος „vielleicht werde auch ich mich in Gefahr bringen . . (cf. Lehrs.) pag. 201 B Agathon convictus a Socrate facere non potest quin confiteatur *κινδυνεύω οὐδὲν εἰδέναι ὢν τότε εἶπον* „ich fürchte fast, ich weiss nichts von alledem was ich sagte“. pag. 205 D. Agathon dubius respondet *κινδυνεύεις ἀληθῆ λέγειν*. pag. 218 D. Socrates μάλα εἰρωνικῶς καὶ σφόδρα ἑαυτοῦ τε καὶ εἰωθότως ἔλεξεν. ὦ φίλε Ἀλκιβιάδη, κινδυνεύεις τῷ ὄντι οὐ φαῦλος εἶναι: audimus illum per lasciviam suaviter cavillantem, ut nostra lingua utamur, in hunc fere modum: „Ich muss ihn so nennen — er ist für mich in Gefahr — wenn er es auch nicht verdient (Lehrs.: „Ei wie klug!“) pag. 222 D Socrates *εἰρωνευόμενος* cum crimini dedisset Alcibiadi voluisse Agathonem et se ipsum discordes facere, Agathon item ironice *κινδυνεύεις ἀληθῆ λέγειν* „du kannst fast recht haben“.

In Menexeno unum huiusmodi exemplum extat in pag. 234 C. Socrates enim laudibus effert mortem pro patria sic: *πολλαχῇ κινδυνεύει καλὸν εἶναι τὸ ἐν πολέμῳ ἀποθνήσκειν*, de quo loco vide quae in pag. 11 sq. dicta sunt.

In Parmenide *κινδυνεύει* non adhibetur nisi in responsis octies, qui loci sunt hi: pag. 134 C (So scheint es leider), 141 D (So sieht es aus) 142 A (So ist es beinahe) 156 E (So mag es wohl sein), 159 A (So mag es wohl sein), 161 D (das scheint beinahe), 162 C (das mag wohl sein). His omnibus locis Parmenides ipse verbum usurpat, quod addita Schleiermacheri versione apparet, ita ut semel dolens, sexies dubius neque quicquam habens quid respondeat Socratem recte dixisse concedat. Uno loco qui est in pag. 147 B idem ille paulo magnificentius angustias obtegit sic: *κινδυνεύει φαίνεσθαι ἔκ γε τοῦ λόγου*.

In Sophista ad quem nunc venimus, in pag. 216 C Socrates veritus ne genus philosophorum non multo facilius posset discerni quam deorum eloquitur sic: *κινδυνεύει τὸ γένος οὐ πολὺ τι ῥᾶον, ὥς ἔπος εἰπεῖν, εἶναι διακρίνειν ἢ τὸ τοῦ Θεοῦ* „Ich fürchte fast . . .“ pag. 218 A urbane hospes monet Theaetetum ut jam desinat plura interrogare: *κινδυνεύει πρὸς μὲν ταῦτα οὐδὲν ἔτι λεκτέον εἶναι*. pag. 229 C hospes prudentiae simulationem accusat efficere ut quidquid mali animo accidat, inde originem ducat: *δὲ οὐ κινδυνεύει πάντα ὅσα διανοίᾳ σφαλλόμεθα γίνεσθαι πᾶσιν*. pag. 232 A Theaetetus quod hospes interrogaverat recte se habere cunctatur dicere cum respondeat *κινδυνεύει τοῦτο ταύτῃ πῃ μάλιστα πεφυκέναι*. pag. 233 D Theaeteto probatur quod crimini hospes dederat sophistae (*δοξαστικὴν ἄρα τινὰ περὶ πάντων ἐπιστήμην ὃ σοφιστὴς ἡμῖν, ἀλλ' οὐκ ἀλήθειαν ἔχων ἀναπέφανται*) sic: *κινδυνεύει γε τὸ νῦν εἰρημένον ὁρθότατα περὶ αὐτῶν εἰρησθαι* pag. 240 C Theaetetus invitatus accipit simulque permirum sibi esse existimat quod quaesierat hospes *κινδυνεύει τοιαύτην τινὰ πεπλέχθαι συμπλοκὴν τὸ μὴ ὂν τῷ ὄντι, καὶ μάλα αἰτιον*. pag. 250 C incertus ne dicam metu quodam affectus Theaetetus probat hospititis sententiam: *κινδυνεύομεν ὥς ἀληθῶς τρίτον ἀπομαντεύεσθαι τι τὸ ὄν, ὅταν κίνησιν καὶ σιάσιν εἶναι λέγομεν* „Wir dürften in der That das Seiende als ein drittes andeuten (Schl.)“ pag. 232 C ironice hospes veritus *κινδυνεύομεν*, inquit, *ζητοῦντες τὸν σοφιστὴν πρότερον ἀνευρηκέναι τὸν φιλόσοφον*; „wir mögen wohl gar . . .“ pag. 256 E hoc uno verbo Theaetetus incertus utitur in responso, quod idem saepe se offert nobis in Politico.

Respondet enim Socrates Minor hoc unum septem locis his: pag. 294 C interrogatus ab hospite *οὐκοῦν ἀδύνατον εὖ ἔχειν πρὸς τὰ μηδέποτε ἀπλᾶ τὸ διὰ παντὶς γινόμενον ἀπλοῦν*; respondet urbane: „So scheint es“. (Schl.). pag. 301 A quam hospes aristocratiam esse putat et oligarchiam urbane probat: „So scheint es“. pag. 301 B cum hospes dixisset: *βασιλέα καλοῦμεν, οὐ διορίζοντες ὀνόματι τὸν μετ' ἐπιστήμης ἢ δόξης κατὰ νόμους μοναρχοῦντα* consentit: „So machen wir es wohl“ (leider?) pag. 301 E hospititis veram esse sententiam concedit hanc: *ὁπότε οὐκ ἔστι γινόμενος . . . ἐν ταῖς πόλεσι βασιλεὺς οἷος ἐν σμήνεσιν ἐμφύεται, τὸ τε σῶμα εὐθὺς καὶ τὴν ψυχὴν διαφέρων εἰς, δεῖ δὲ συνελθόντας ξυγγράμματα γράφειν, ὥς ἔοικε, μεταθέοντας τὰ τῆς ἀληθεστάτης πολιτείας ἔχνη*: „So scheint es“ (Schl.), „So ist es leider“ (Ego). pag. 303 A hospes ei recte dixisse videtur cum diceret *μοναρχία ζευχθεῖσα μὲν ἐν γράμμασιν ἀγαθοῖς, οὐδὲ νόμους λέγομεν, ἀρίστη πασῶν τῶν ἔξ' ἄνομος δὲ χαλεπὴ καὶ βαρυντικὴ ξυνοικῆσαι* „das mag wohl sein“ (Schl). pag. 307 D discordes inter se fieri cives cum hospes iudicasset fere hoc modo: *κατὰ γὰρ οἶμαι τὴν αὐτῶν ἐκατέροις ξυγγένειαν τὰ μὲν ἐπαινοῦντες ὥς οἰκτεῖα σφέτερα, τὰ δὲ τῶν διαφόρων ψέγοντες ὥς ἀλλότρια, πολλὴν εἰς ἔχθραν ἀλλήλοις*

καὶ πολλῶν περὶ καθίστανται, ille respondet: *κινδυνεύουσιν* „das thun sie leider“. pag. 308 B hospitis sententiam ὅτι μόρια ἀρετῆς οὐ μικρὰ ἀλλήλοις διαφέρουσιν φύσει καὶ δὴ καὶ τοὺς ἰσχυρίας δρᾶτον τὸ αὐτὸ τοῦτο; recipit ita ut dolere quodammodo videatur rem ita esse „das scheinen sie in der That“ (eigentlich sollte es nicht so sein). pag. 303 C idem Socrates Minor pluribus verbis hospiti cum dixisset viros qui reipublicae praeessent *μεγίστους ὄντας μιμητὰς καὶ γόητας μεγίστους γίνεσθαι τῶν σοφιστῶν σοφιστὰς* fidem tribuit sic: *κινδυνεύει τοῦτο εἰς τοὺς πολιτικοὺς λεγομένους περιστράφθαι τὸ ἥμισυ ὀρθότατα*, rem ita esse quodammodo dolens. pag. 277 A hospiti interroganti τὸν ἔχοντα αὐτὴν τέχνην ταύτην καὶ ἐπιμέλειαν ὅντως ὄντα βασιλέα καὶ πολιτικὸν ἀποφαινόμεθα; item pluribus respondet non modo recte eum dicere, sed vel pulcherrime καὶ *κινδυνεύει γε τελέως ἂν ἡμῖν οὕτως ἔχειν ἢ περὶ τὸν πολιτικὸν ἀπόδειξις* („ungefähr. .“). Uno loco Socrates ille Maior auditur qui locus est pag. 257 D: urbane hic de iis quibuscum sermonem habiturus est *κινδυνεύειτον*, inquit, *ἄμφορ ποθὲν ἐμοὶ ξυγγένειαν ἔχειν τινά*.

In Phaedone praeter Socratem verbo utitur nemo. Atque in pag. 64 A dixerit quispiam eum *παράδοξόν τι* urbane eloqui, mihi contra ironice rem vulgo maxime horrendam significat verboque vim tribuit propriam, sic: *κινδυνεύουσιν ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἀπτόμενοι φιλοσοφίας λεληθέναι τοὺς ἄλλους, ὅτι οὐδὲν ἄλλο αὐτοῖς ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι* „Die mögen gar nach nichts anderem streben“, pag. 66 B e vulgari philosophorum usu dicendi affert ὅτι *κινδυνεύει τοι ὥσπερ ἀτραπὶς τις ἐκφέρειν*, rem ironice malam significans, mortem ut supra. pag. 69 C rem unam omnium longe gravissimam veretur. ut ita dicam, ne instituerint illi qui mysteria instituerint; sic enim: *κινδυνεύουσι οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν οὕτοι καταστήσαντες οὐ φαῦλοι εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνέττεσθαι, ὅτι ὅς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς Αἴδοι ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται, ὃ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει*: „sie mögen wohl am Ende andeuten“. pag. 60 E orat ne animo recipiant quod profecto turpissimum sit ὡς τῶν λόγων *κινδυνεύει οὐδὲν ὑγιὲς εἶναι* „dass wohl gar . .“ pag. 91 A sicut his quos attulimus locis propria vis verbi cognoscitur, res enim quaedam mala significatur ironice: *κινδυνεύω* ἔγωγε, inquit, ἐν τῷ παρόντι περὶ αὐτοῦ τούτου οὐ φιλοσόφως ἔχειν, ἀλλ' ὥσπερ οἱ πάνν ἀπαίδεντοι φιλονεικῶς.

Philebus qui inscribitur dialogus hanc elocutionem sex prae se fert locis his: atque in pag. 33 C Socrates incepturus rem difficillimam exponere timore quodam affectus *μνήμην*, inquit, ὡς ἔοικεν, ὅτι ποτ' ἔστι, πρότερον ἀναληπτέον, καὶ *κινδυνεύει* πάλιν ἔτι πρότερον αἰσθησὶν μνήμης. pag. 36 D idem sentiens λόγον μέντοι τινά, inquit, *κινδυνεύομεν* οὐ πάνν μικρὸν ἐπεγείρειν „Das sieht bedenklich aus: wir bringen da eine gar nicht kurze Sache in Anregung“. pag. 66 C Socrates postquam rem propositam absolvit tamen qua utitur arte nesciendi dubitat affirmare se absolvisse: *κινδυνεύει καὶ ὁ ἡμέτερος λόγος ἐν ἐκτῇ καταπεπαισμένος εἶναι κρίσει*. Tribus aliis locis verbum in responso positum habemus, quorum qui est in pag. 36 B ostendit Protarchum, cum Socrates interrogasset τότ' ἄρα ἄνθρωπος καὶ τὰλλα ζῷα λυπεῖται τε ἅμα καὶ χαίρει. cunctantem: „So kommt es heraus“. pag. 44 A eundem Protarchum (praecedat *φασί γοῖν*) pressum, pag. 47 D cum respondeat *κινδυνεύεις ὀρθότατα λέγειν* urbane factaque circutione concedentem.

Sed agite videamus Platonis de republica libri qualia huius verbi exempla praebeant. In libro igitur primo pag. 333 D Polemarchus interroganti Socrati ὅταν ἄρα ἄχρηστον ἢ ἀργύριον,

τότε χρήσιμος ἐπ' αὐτῷ ἢ δικαιοσύνη; pag. 333 E interroganti καὶ περὶ τὰλλα δὴ πάντα ἢ δικαιοσύνη ἐκάστων ἐν μὲν χρήσει ἄχρηστος, ἐν δὲ ἀχρηστίᾳ χρήσιμος; dubius videtur respondere *κινδυνεύει*. in pag. 350 C Thrasyarchus Socrati cum ex eo quaesivisset *ἔοικεν ἄρα ὁ μὲν δίκαιος τῷ σοφῷ καὶ ἀγαθῷ, ὁ δὲ ἀδίκος τῷ κακῷ καὶ ἀμαθεῖ*, quam dubius ipse quoque respondere videatur *κινδυνεύει*, ex iis intellegitur quae Socrates narrat: ὁ δὲ Θρασύμαχος ὁμολόγησε μὲν πάντα ταῦτα, οὐχ ὡς ἐγὼ νῦν ῥαδίως λέγω, ἀλλ' ἐλκόμενος καὶ μόγις, μετὰ ἰδρωτός θανμαστοῦ ὅσον, αἶτε καὶ θέρους ὄντος. pag. 334 A cum Polemarchum eo adduxisset ut concederet *ὅτι κλέπτῃς ἄρα τις ὁ δίκαιος ὡς ἔοικεν ἀναπέθανται*, Socrates ironice dolet simul et veretur ne Homerus pessimus ille omnium poeta miserrimum corruerit: *κινδυνεύεις παρ' Ὀμήρου μεμαθηκέναι αὐτό; καὶ γὰρ ἐκεῖνος τὸν τοῦ Ὀδυσσεὺς πρὸς μητρὸς πάππον Ἀντίλοχον ἀγαθῇ τε καὶ φησὶν αὐτὸν πάντας ἀνθρώπους κεκάσθαι κλεπτοσύνην* Ὁμήρου τε: „Da Armer! dem bösen Homer hast du das zu danken“. pag. 347 C. Socrates vituperatione omnium dignum esse iudicat si quis sua sponte ad rempublicam accedat neque expectet necessitatem: *κινδυνεύει τὸ ἐκόντια ἐπὶ τὸ ἄρχειν ἵεναι, ἀλλὰ μὴ ἀνάγκην περιμένειν, ἀσχερὸν νενομίσθαι*. pag. 347 D urbane Socrates, immo timore quodam affectus *κινδυνεύει*, inquit, πόλις ἀνδρῶν ἀγαθῶν εἰ γένοιτο, περιμάχητον ἂν εἶναι τὸ μὴ ἄρχειν „ich fürchte fast, man würde sich darum streiten“, pag. 334 E Polemarchus cum invitatus concessisset falsum esse quod auctore Simonide statuerat, *μεταθώμεθα*, inquit metu commotus; *κινδυνεύομεν γὰρ οὐκ ὀρθῶς τὸν φίλον καὶ ἐχθρὸν θέσθαι*. in libro II, pag. 375 D cum Socrates rem eo deduxisset ut colligendum esset: οὕτω δὲ ξυμβαίνει ἀγαθὸν φύλακα ἀδύνατον γενέσθαι, Glaucon incertus sollicitusque respondet: *κινδυνεύει*, Socrates ipse καὶ ἐγώ, inquit, ἀπορήσας τε καὶ ἐπισκεψάμενος τὰ ἔμπροσθεν, Δικαίως γε, ἦν δ' ἐγώ, ὦ φίλε, ἀποροῦμεν ἥς γὰρ προῖθέμεθα εἰκόνας ἀτελείφθαι. in libro III, pag. 398 B urbane Socrates rem verbis consecutus esse sibi videtur: *κινδυνεύει*, inquit, ἡμῶν τῆς μουσικῆς τὸ περὶ λόγους τε καὶ μύθους παντελῶς διαπεπεράνθαι ἃ τε γὰρ λεκτέον καὶ ὡς λεκτέον, ἐρηται. pag. 410 C Socrates urbane de iis qui musicen et gymnasticen condiderint opinatur sic: *κινδυνεύουσιν ἀμφοτέρω τῆς ψυχῆς ἔνεκα τὸ μέγιστον καθιστάναι*. pag. 413 B cum Glaucon quicquam se intellexisse negasset, Socrates ironice se ipse reprehendit et *τραγικῶς*, inquit, *κινδυνεύω λέγειν*: i. e. tumide et magnificentius ideoque obscure (St). pag. 398 C Socrati, cum admonisset πᾶς ἤδη ἂν εὔροι ἃ ἡμῶν λεκτέον περὶ αὐτῶν οἷα δεῖ εἶναι, respondet Glaucon ipse se irridens *Εγώ*, inquit, *κινδυνεύω ἐκτός τῶν πάντων εἶναι οἷον ἰκανῶς γε ἔχω ἐν τῷ παρόντι ξυμβαλέσθαι, ποῦ ἄττα δεῖ ἡμᾶς λέγειν*. pag. 399 A cum Socrates e republica τὰς ἀνεμείνας ἀρμονίας reiciendas esse docuisset, Glaucon sollicitudine quadam affectus esse videtur cum respondeat *κινδυνεύει σοι δοριστὶ λείπεσθαι καὶ φρονιστὶ* „So bleiben dir ja nur“. in libro IV. verbum ab uno Socrate usurpatum est. quinque locis: in pag. 425 B. educationem praedicat a pueris rem esse unam, omnium gravissimam, siquidem *κινδυνεύει ἐκ τῆς παιδείας ὅπη ἂν τις ὁμύσῃ, τοιαῦτα καὶ τὰ ἐπόμενα εἶναι*, urbane simul sollicitoquo animo. pag. 432 D inopinato gaudio percussus *Τοιούτου . . κινδυνεύομεν τι ἔχειν ἔχρος, καὶ μοι δοκεῖ οὐ πᾶν τι ἐκφενξέσθαι ἡμᾶς* (er erschrickt vor Freude). pag. 433 B in iustitia definienda urbane quod supra diximus, ne veritatis ipsius loco fungi videatur, loquitur sic: *τοῦτο . . κινδυνεύει τρόπον τινὰ γιγνόμενον ἢ δικαιοσύνη εἶναι, τὸ τὰ αὐτοῦ πράττειν*. pag. 443 C postquam iustitiae notionem satis diligenter et accurate circumscripsit, tamen ut est probus admodum et verecundus urbane moderateque *κατὰ θεὸν τινα εἰς ἀρχὴν τε καὶ τέλος τινὰ τῆς δικαιοσύνης κινδυνεύομεν ἐμβεβηκέναι*. pag. 445 C Socrates

ne hoc quidem loco pro certo affirmat, sed opinatur quot sint formae civitatum, totidem esse formas animorum: ὅσοι πολιτειῶν τρόποι εἰσὶν εἶδη ἔχοντες, τοσοῦτοι κινδυνεύουσι καὶ ψυχῆς τρόποι εἶναι. in libro V. qui sunt loci huius generis tres, eorum in uno pag. 454 B. proprie Socrates verbo utitur; veretur enim ne „in ipsos quoque cadat, quod Glaucō multos iudicaverit imprudentes arte eristica potius quam dialectica in disputando uti“ (St.): κινδυνεύουσαν γοῦν ἄκοντες ἀντιλογίας ἄπτεσθαι. pag. 459 C item propriam Socrates servat vim verbi ita ut doleat fraude et mendacio opus esse regibus in eos qui regantur: συγχῶ τῷ ψεύδει καὶ τῇ ἀπατῇ κινδυνεύει ἡμῶν δεήσειν χρῆσθαι τοῖς ἄρχοντας ἐπὶ ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων⁶¹⁾ pag. 458 D Glaucō ipse quoque proprie verbum adhibet de re turpissima, saevo libidinis ardore; sic enim: ἐρωτικαὶ ἐνάγκαι κινδυνεύουσιν ἐκείνων δορυμέτραι εἶναι πρὸς τὸ πείθειν τε καὶ ἔλκειν τὸν πολὺν λαόν. liber VII. hoc modo loquentem neminem nobis proponit nisi Socratem quinque locis. in pag. 518 D urbane verbo utitur sic: οἱ μὲν ἄλλαι ἀρεταὶ καλούμεναι ψυχῆς κινδυνεύουσιν ἐγγὺς τοῦ εἶναι τῶν τῶν σώματος „sie dürften wohl . . .“⁶²⁾ pag. 523 A timet animis plurimorum hominum, ne arte arithmetica non ut par sit adducantur ad cognoscendam ipsam rerum naturam: κινδυνεύει τὴν νόησιν ἀγόντων φύσει εἶναι ὧν ζητοῦμεν, χρῆσθαι δ' οὐδέ τις αὐτῷ ὀρθῶς, ἐλαττωθῆναι ὅντι τῶν πρὸς παντάπασιν πρὸς οὐσίαν. pag. 526 B quod Glaucō antea cum parum intellexisset recipere dubitabat, nunc anticipato responso Socrates in persona illius i. e. urbane dubitans eloquitur sic: ὁρᾷς οὖν ὅτι τῷ ὄντι ἀναγκαῖον ἡμῶν κινδυνεύει εἶναι τὸ μάθῃμα; „nun ist doch (was du früher nicht zugeben wolltest), in Wirklichkeit so sehr notwendig“. pag. 529 B. Socrates Glaucōnem castigat addita ironia: „periculum est enim“, ut verbis Stallbaumi utar, „ne quis in tecto ornamenta spectet atque suspiciens aliquid animadvertat, eum censeas mente, non oculis contemplari“: κινδυνεύεις καὶ εἴ τις ἐν ὁροσφῇ ποικίλματα θεώμενος ἀνακλύπτων καταμανθάνοι τι, ἡγεῖσθαι ἂν αὐτὸν νοήσει, ἀλλ' οὐκ ὁμῶς θεωρεῖν. pag. 530 D „Socrates vult astronomiae et musicae cognationem atque necessitudinem ex Pythagoreorum decretis illustrare adeoque musicae originem patefacere“. Αὐτὸν igitur secutus urbane κινδυνεύει, inquit, ὡς πρὸς ἀστρονομίαν ὁμῶς πείρηγεν, ὡς πρὸς ἐναρμόνιον φορὰν ὥτα παγῆναι. in libro VIII. pag. 557 C Socrates ironice laudat, re autem vera acerbissime „populare imperium perstringit, in quo describendo haud scio an civitatis Atheniensis praecipue rationem habuerit“ (St.), sic: κινδυνεύει καλλίστη αὐτῇ τῶν πολιτειῶν εἶναι „am Ende mag dies die schönste unter allen Verfassungen sein“ (Schl.) pag. 557 D Socrates item per ironiam suadet urbane conditoribus urbium, ut illam rempublicam adeant sic: κινδυνεύει τῷ βουλομένῳ πόλιν κατασκευάζειν, ὃ νῦν δὴ ἡμεῖς ἐποιοῦμεν, ἀναγκαῖον εἶναι εἰς δημοκρατοῦ μένῃ ἐλθόντι πόλιν, ὃς ἂν αὐτὸν ἀρέσκη τρόπος, τοῦτον ἐκλέξασθαι, ὥστερ εἰς παντοπώλιον ἀφικόμενῳ πολιτειῶν, καὶ ἐκλεξαμένῳ οὕτω κατοικίσειν. vides quam salsa cum ironia vetat talia adire imperia? in libro IX. pag. 571 B proprie Socrates verbum usurpat, cum de cupiditatibus quae contra legem sunt, metuat tamen ne omnibus incidant, sic: ἐπιθυμίαι παράνομοι κινδυνεύουσι μὲν ἐγγίγνεσθαι παντί. pag. 573 B in responso adhibet Adimantus interrogatus ab Socrate ἄρ' οὖν καὶ τὸ πάλας διὰ τὸ τοιοῦτον τίραννος ὁ Ἔρως λέγεται; „das mag wohl sein“, quod idem respondet in libro X. pag. 795 E Glaucō cum ex eo quaesivisset Socrates τοῦτ'

⁶¹⁾ Hic liceat mihi monere numquam κινδυνεύειν et δοκεῖν ita similia inter se fieri ut κινδυνεύει μοι = δοκεῖ μοι usquam inveniatur: hoc ipso loco non idem valere manifestum est.

⁶²⁾ de hoc loco cfr. Schleiermacher, III, 1 p. 576.

ἄρα ἔσται καὶ ὁ τραγωδοποιός, εἴπερ μιμητής ἐστι, τρίτος τις ἀπὸ βασιλέως καὶ τῆς ἀληθείας πεφνκώς, καὶ πάντες οἱ ἄλλοι μιμηταί· pag. 597 A propria verbi significatio apparet ita ut κινδυνεύειν Socrati dicatur si quis verum non dicit: κινδυνεύει οὐκ ἂν ἀληθῆ λέγειν. pag. 619 E admodum urbane et moderate Socrates modo potentiali adiungit κινδυνεύειν sic: εἴ τις ἀεί, ὁπότε εἰς τὸν ἐνθάδε βίον ἀφικνοῖτο, ὑγιῶς φιλοσοφοῖ καὶ ὁ κληρὸς ἀντὶ τῆς ἀρεσσεως μὴ ἐν τελευταίοις πίπτει, κινδυνεύει ἐκ τῶν ἐκεῖθεν ἀπαγγελλομένων οὐ μόνον ἐνθάδε εὐδαιμονεῖν ἀν-

Minos dialogus uno loco hoc verbum habet, in pag. 314 C ubi hospes quidam Socratis legem quid sit definit his verbis: κινδυνεύει, ὃ σὺ ἐρωτᾷς, τὸ ὅλον τοῦτο, νόμος δόγμα πόλεως εἶναι.

Venimus ad Platonis de legibus libros, quorum in libro I. pag. 625 E Cleinias de Cretensium legislatoris consiliis urbane sic iudicat: πρὸς τὸν πόλεμον βλέπων καὶ τὰ ξυσσίτια κινδυνεύει ξυναγαγεῖν ὁρῶν, ὡς πάντες, ὁπότεν στρατεύονται, τόθ' ἵπ' αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἀναγκάζονται φυλακῆς αὐτῶν ἕνεκα ξυσσιτεῖν τοῦτον τὸν χρόνον. in pag. 636 A hospes Atheniensis cum in priore sententia dixisset ἔοικε δῆτα χαλεπὸν εἶναι, gradatione utitur, sed caute, ne dicam timide κινδυνεύει, inquit, καθάπερ ἐν τοῖς σώμασιν, οὐ δυνατόν εἶναι „ich möchte fast sagen, es ist nicht möglich“. in libro II semel legimus verbum in responso, in pag. 663 D; nam cum Atheniensis ille iudicasset ἀναγκαῖον ἄρα τὸν ἄδικον βίον οὐ μόνον αἰσχρῶ καὶ μοχθηρότερον ἀλλὰ καὶ ἀηδέστερον τῇ ἀληθείᾳ τοῦ δικαίου τε εἶναι καὶ ὁσίου βίου Cleinias considerate respondet: κινδυνεύει κατὰ γε τὸν νῦν λόγον. in libro IV. pag. 721 A hospes ille reipublicae plurimum interesse, leges de matrimonio primas omnium ferri, modeste affirmat sic: γαμικοὶ δὲ νόμοι πρῶτοι κινδυνεύουσι τιθέμενοι καλῶς ἂν τίθεσθαι πρὸς ὀρθότητα πάσῃ πόλει. in libro VI. pag. 763 B idem ille provide κινδυνεύει, inquit, οὐδενὸς ἑλαττον μάθημα εἶναι δι' ἀκριβείας ἐπίστασθαι πάντας τὴν αὐτῶν χώραν. urbane in libro VII. pag. 811 C κινδυνεύω κατὰ γέ τινα τρόπον εὐτυχικῆναι. pag. 822 D quod dicit κινδυνεύει δὲ νομοθέτῃ τὸ προστατιτόμενον ἐπὶ μείζον εἶναι τοῦ νόμου θέντα ἀπηλλάχθαι, gravissimum difficillimumque munus esse legislatoris significat, metu quodam affectus videtur. in libro VIII. pag. 835 C urbane, ut fere, κινδυνεύει, inquit, ἀνθρώπου τολμηροῦ δεῖσθαι τινος, ὃς παρρησίαν διαφερόντως τιμῶν ἐρεῖ τὰ δοκοῦντα ἄριστ' εἶναι πόλει καὶ πολίταις. in libro IX. pag. 860 B. Atheniensi cum interrogavisset μὴ οὐχ οἷτως ἡμῖν τὰ γε δίκαια καὶ τὰ καλὰ τοτὲ μὲν ὡς ταῦτα ξύμπαντα, τοτὲ δὲ ὡς ἐναντιώτατα φανεῖται; cunctatus respondet: κινδυνεύει. in libro X. pag. 891 C hospes de re mala falsaue adhibet verbum, siquidem κινδυνεύει, inquit, ὁ λέγων ταῦτα πῶρ καὶ ἴδωρ καὶ γῆν καὶ ἄερα πρῶτα ἡγεῖσθαι τῶν πάντων εἶναι, καὶ τὴν φύσιν ὀνομάζειν ταῦτα αὐτά, ψυψὴν δὲ ἐκ τοῦτων ὑστερον. ἔοικε δὲ οὐ κινδυνεύειν, ἀλλὰ ὄντως σημαίνειν ταῦτα ἡμῖν τῷ λόγῳ. Item de re mala pag. 892 A: ψυχὴν ἡγνοικῆναι κινδυνεύουσι μὲν ὀλίγον ξύμπαντες, οἷόν τε ἂν τυγχάνει καὶ δύναμιν ἣν ἔχει; pag. 907 B: κινδυνεύει πως ὁ ταύτης τῆς δόξης ἀντεχόμενος πάντων ἂν τῶν ἀσεβῶν κεκρίσθαι δικαιοτάτα κάκιστός τε εἶναι καὶ ἀσεβέστατος.

Haec pauca de legibus. Jam ad reliquos Platonis dialogos ut veniamus, Hipparchus in pag. 229 habet haec: κινδυνεύεις τοίνυν ἢ οὐ φίλον με ἡγεῖσθαι ἢ, εἰ ἡγεῖ φίλον, οὐ πεῖθεσθαι Ἰππάρχῳ, cuius quidem sepulcro inscriptum erat „μνημα τόδ' Ἰππάρχον μὴ φίλον ἐξαπάτα.“ dolere et reprehendere in Socrate hospitem rem malam manifestum est.

In Alcibiade II semel usurpat Alcibiades verbum in responso, in pag. 139 D ita ut cunctatus confiteatur rem aliter se habere atque ipse putaverit: κινδυνεύει οὐχ οὔτως ἔχειν ὥσπερ

φύσιν. Ceteris quinque locis omnibus a Socrate adhibitum est his: pag. 139 C per ironiam et modeste ἀφροσύνη ἄρα, inquit, καὶ μανία κινδυνεύει ταυτὸν εἶναι; pag. 142 E scriptum est item modeste: ἀφροσύνη ἄρα, inquit, καὶ μανία κινδυνεύει ταυτὸν εἶναι. pag. 142 E scriptum est item modeste: κινδυνεύει γοῖν. . . φρόνιμός τις εἶναι ἐκεῖνος ὁ ποιητής, quod paulo infra sic: καλῶς δοκεῖ καὶ ἀσφαλῶς λέγειν ὁ ποιητής; pag. 144 D de re mala utitur sic: κινδυνεύει τό γε τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν κτῆμα, ἐάν τις ἄνευ τῆς τοῦ βελτίστου κεκτημένος ἦ, ὀλιγάκις μὲν ὠφελεῖν, βλάπτειν δὲ τὰ πλείω τὸν ἔχοντα αὐτό; quod idem repetit in pag. 146 E; in pag. denique 150 A urbane de justitia et intellectu: κινδυνεύει γοῖν καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρὰ ἀνθρώποις τοῖς νοῦο ἔχουσι δικαιοσύνην τε καὶ φρόνησιν διαφερόντως τιμηθῆναι.

In Theage, pag. 121 B. Demodocus modeste affirmat sic: πάντα τὰ φυνὰ κινδυνεύει τὸν αὐτὸν τρόπον ἔχειν, καὶ τὰ ἐκ τῆς γῆς φύεμνα καὶ τὰ ζῶα, τὰ τε ἄλλα καὶ ἄνθρωπος. in pag. 122 D moderate assentitur: κινδυνεύει γοῖν οὕτω βέλτιστον εἶναι ὥς σὶ λέγεις.

In Platonis quae feruntur epistulis verbum extat in ep. VII. pag. 327 A, quo loco ironice Plato rem malam significare videtur: κινδυνεύω, τὰ δοκοῦντα ἐμοὶ βέλτιστα ἀνθρώποις εἶναι μνησὼν διὰ λόγων καὶ πράττειν αὐτὰ ξυμβουλεύων, ἀγνοεῖν ὅτι τυραννίδος τινὰ τρόπον κατάλυσιν ἐσομένην μηχανώμενος ἐλάνθανον ἐμαυτόν. pag. 348 E Theodotes quod opinatur sic exprimit: ὁ δὲ (Ἡρακλείδης) εἶναι πῃ ταύτῃ κινδυνεύει.

In spurio περὶ δικαίων dialogo semel Socrates verbo utitur urbane, pag. 375 C: κινδυνεύει ἄρα ὁ μὲν οἱ πρόγονοι ἡμῖν κατέλιπον σοφίαν, δικαιοσύνην εἶναι, ὁ δὲ ἀμαθίαν, τοῦτο δὲ ἀδικία.

In spurio περὶ ἀρετῆς dialogo item semel Socrates de re mala, in pag. 379 B: κινδυνεύει οὔτε φύσει οὔτε μαθήσει ἢ ἀρετῇ τοῖς ἀνθρώποις παραγίγνεσθαι.

Tandem aliquando rem ad finem deductam esse nonnemo erit qui dicat, sed noli irasci me singula, non summam exempla tractavisse, quia varietates eorum et discrimina sunt saepe tenuissima. Accedit ut sescenta reperiantur milia verborum quae sunt δοκεῖν εἰκέναι φαίνεσθαι, huius autem verbi universa plus centum et octoginta exempla extare, dimidium nomen Socratis prae se ferre saepissime ironice loquentis, non in omnibus extare dialogis, sed deesse in his qui inscribuntur omnes fere falso Platonis nomine: Laches Ion Timaeus Epinomis Axiochus Demodocus, Erastai Eryxias Halcyon Horoi Klitophon Kritias Sisyphus — in epigrammatis quae sub Platonis nomine feruntur non extare consentaneum est. Per se ipsum igitur colligendum erit, singulare aliquid atque proprium in se habere verbum κινδυνεύειν, non usurpatum esse a Platone more eorum quos Gellius (I, 15 fin.) locutuleios, blaterones, linguaces appellat, qui verba praecipue nova coram omnibus jactant saeculique flosculis orationis se exornatos praestant, sed ut est nobis non primus⁶³⁾ modo sed etiam princeps eorum qui dialogos com-

⁶³⁾ Liceat mihi repetere quod Christ. in Graecarum litterarum historia pag. 332 sqq. de dialogis Platonis existimat: „Diese Form ist keine von aussen hereingetragene, sondern eine natürliche Wiedergabe der Art, wie Sokrates mit seinen Schülern verkehrte, weshalb nicht bloß Plato, sondern alle Sokratiker dieselbe anwendeten. Es ist aber auch zugleich die dialogische Form in der Auffassung Platons vom Wesen des Wissens und in seiner ganzen Lehrmethode tiefinnerlich begründet. Das Denken war ihm eine Zwiesprache der Seele mit sich selbst, und nur auf ein mit Einsprache und Gegenverteidigung d. h. mit dialektischer Kunst erworbenes Wissen legte er Wert. Er ist mit dieser Form der echtste Vertreter hellenischer Philosophie und attischen Geistes geworden, die Abneigung der Griechen gegen einsame Abgeschlossenheit und der demokratische Anspruch der Athener auf das sprichwörtliche ἔλεγχ' ἐλέγχου verschaffte von vornherein einer Philosophie Eingang, in der die Sätze nicht in langer, salbungreicher Rede de tripode verkündet, sondern in dialektischem Zwiegespräch entwickelt wurden.

posuerunt, composuisse nobis videtur exemplar quoniam modo sibi quidem sermones doctissimi eidem et urbanissimi humanissimi blandissimi esse viderentur, quomodo ipse quidem λόγον χάριτι κεκαμηένον esse vellet. Quorum in numero blandimentorum mihi esse videtur hoc ipsum verbum quod periculi tamquam decore involutum obducit et quicquid periculosum est et quicquid esse videtur, si non periculosum, at incertum turpe molestum injucundum, paucis etiam locis si recte intellego, a similibus verbis nihil dissentit (vide quae supra ad Xenophontem de hac re attulimus). Atque ob hanc rem ipsam, quia duplicem habet significationem, facilius ad ironiam aptum persaepe cum ab aliis tum ab Socrate usurpatur; res autem in sermonibus quae Platoni periculosae esse videntur, omissis eis quae metum ipsum, terrorem, sollicitudinem significant, sunt hae: vituperatio admonito reprehensio castigatio accusatio monitus interdictum indignitas, alia, omnia cum multis varietatibus: ut de his rebus quanta est urbanitate libenter κινδυνεύειν adhibet, ita etiam ne audax et temerarius in statuendis decretis et opinionibus, sibi nimium placens in absolutis quaestionibus videatur; saepissime vero (quingenta cr. locis) respondentes eos, qui sermonibus intersunt, hoc verbum facit eosque invitos coactos pressos incertos cunctantes dolentes. Sed quod modo dixi, in omnibus rebus quae Platoni pro eius urbanitate plus minusve in sermonibus periculosae sunt, tot tantaeque sunt varietates, ut singulae singulis verbis vix possint significari: satis habui nonnulla enumerasse exempla.

Nunc a Platone me discedere aegerrime fero haud ignorans multis in locis divinus ille quid sentiret me non assecutum esse; verum tamen nunc quidem discedamus aliamque disceptemus quaestionem, quae inter Herodotum Xenophontem Platonem, praeter quos nemo hoc verbo usus est, ratio esse videatur. Et Herodotus quem uno loco adhibuisse vidimus, proprie de re vulgo terribili adhibet addita ironia; horum uterque usum adeo propagavit, ut non modo de rebus aliqua ex parte malis molestisve usurpetur, sed etiam plane urbana locutio facta sit de rebus nulla ex parte periculosis. Sed uter auxit verbi significationem? Non dicam h. l. apud Platonem esse ubertatem varietatem sollertiam artificium, apud Xenophontem paupertatem ac timiditatem, non colligam hac ipsa re illius esse veritatem, huius similitudinem, sed quo tempore quod quidem constet utriusque libelli compositi sit exponam. Et Xenophontis qui huc pertinent libellos auctor est Roquette non ante annum 386, quo anno Oeconomicum primum editum esse verisimile putat, publici juris fieri coepisse, contra Platonem, ut unum gravissimumque testem afferam, Zellerus usque ad annum 396 conscripsisse existimat Hippia minorem, Euthyphronem, Apologiam, Critonem, Lysidem, Lachetem, Charmidem, Protagoram⁶⁴). quae cum ita sint, pro certo statuamus, Xenophontem imitatore esse Platonis, hunc esse parentem verbi et formatorem.

Ob Platon der erste war, der philosophische Dialoge schrieb, ist zweifelhaft, aber jedenfalls hat er dem Dialog durch anschauliche Schilderung der Szenerie, feine Zeichnung der Charaktere, scharfsinnige Entwicklung der Begriffe, lebensvolle Frische im Fortgang des Gespräches jene Vollendung gegeben, die seitdem ebensowenig wie die Erzählungskunst des Homer von irgend jemandem erreicht worden ist. Neider haben ihm vorgeworfen, er habe in seinen Dialogen nur die Mimen des Sophron kopiert, aber dem gegenüber hat Zeller einfach auf die Stelle des Aristoteles, Poet. I verwiesen, wo die totale Verschiedenheit jener beiden Arten von Dialogen ausgesprochen ist. Übrigens versteht es sich von einem Manne, wie Platon, der sich nicht von einem krankhaften Streben nach Originalität leiten liess, von selbst, dass er auch von anderen gelernt und nicht umsonst die Mimen des Sophron gelesen hat.

⁶⁴) Platonis Apologiam ante Xenophontis Memorabilia in lucem prodixisse aliis causis demonstrat Schanz. in Apol. pag. 110sq.

Restat ut causa quodammodo absoluta esse videatur hoc unum, quatenus imitando efficta sit haec Platonis proprietas ut inquiramus. Quam rem jucundissimam nunc quidem ab omni parte considerare copioseque exponere non licet; hoc unum non praeteribo, nullum esse huius elocutionis vestigium aut apud Aristotelem aut apud omnes Atticos qui vocantur oratores praeter hos apud Demosthenem locos: in Spudiam § 2: *κινδυνεύω οὐδὲν ὁμοίως τούτῳ πρὸς τούτῳ τὸν ἀγῶνα ἔχειν, ἀλλ' οὗτος μὲν ὁρῶντος φέρει πολλάκις εἰδισμένος ἐνταῦθα εἰς ἡμᾶς παρῖέναι, ἐγὼ δ' αὐτὸ τοῦτο φοβοῦμαι μὴ διὰ τὴν ἀπειρίαν οὐ δυνήθῃ δηλώσαι.* proprie de re periculosa adhibitum esse vides. in Aristogeiton. I § 49: *δυσκατάπανστον δέ τι κινδυνεύει πρᾶγμα εἶναι πονηρία* „die Bosheit, fürchte ich, ist . . ; urbane utitur verbo de re certissima, sed mala. in Midiam § 205 . . *βιάζεται οὐκ ὀρθῶς. ἀλλὰ κινδυνεύει τὸ λίαν ἐντυχεῖν ἐπαχθεῖς ποιεῖν*; videsne hoc quoque loco de re mala adhibitum?

Praeter haec tria exempla nihil apud Demosthenem invenitur, qui quidem „lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam dicitur idque apparet ex genere et granditate verborum; dicit etiam in quadam epistula (ep. V. p. 1409) hoc ipse de sese“ (Cicero in Bruto § 121). Recte igitur Christ. l. c. p. 311 n. 2 iudicat sic: „Die Reden des Demosthenes verraten durchaus keinen Einfluss Platons, die practische Natur des Dem. war von vornherein der philosophischen Speculation abgekehrt. Mehr glaublich ist sein Studium des geistesverwandten Thukydides, den er achtmal abgeschrieben haben soll.“

Jam quae sors fuerit huius proprietatis dicendi posteris deinde temporibus, nunc quidem nihil affirmare possum nisi hoc unum, paucos fuisse qui paucis locis imitarentur, plurimos aut non voluisse aut quod verius est, non potuisse imitari elegantias huius elocutionis ac varietates. Illi autem pauci scriptores, quorum unum esse Plutarchum video ex lexico Wyttenbachiano, alios exhibet Stephani lexicon, Synesium et Gregorium, qua ratione hi ipsi imitati sint et si quos hos investigare potuero, alio tempore tractabo *ἐὰν θελῇ θεός.*